

15308.

**DISQUISITIONES CLINICAE
DE SYPHILIDE DORPATI GRASSANTE.**



DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

**UNIVERSITATE LITERARUM CAESAREA
DORPATENSI**

A D G R A D U M

DOCTORIS MEDICINAE

RITE ADIPISCENDUM

PALAM DEFENDET

AUCTOR

Henricus Kehrberg,

LIVONUS.

DORPATI LIVONORUM,

TYPIS HENRICI LAAKMANNI.

MDCCLIV.

I m p r i m a t u r

haec dissertatio ea conditione, ut, simulac typis fuerit excusa, numerus exemplorum lege praescriptus tradatur collegio ad libros explorandos constituto.

Dorpati Liv. die 9. mens. Novembris a. 1854.

(L. S.)

Dr. Bidder,
ord. med. h. t. Decanus.

D 16505

Prooemium.

Vix in morbo ullo major petitur medicorum intentio, quam in syphilide, et quidem tum propterea, quod frequentissime illa occurrit, atque per omnes aetatis gradus omnesque hominum ordines et omnes nationes diffunditur, quum neque aetas, nec sexus, neque ordines populique ulli ab istius morbi contagio vacent, tum vero, quod nonnunquam maligni viri indole in corpore inhaerescit, omnibusque remediis resistere videtur, tum denique, quod in malis, quae subsequuntur, saepe contumacius delitescit, atque, quominus agnoscat, quam maxime impedit; unde non nisi acerrimo medici practici iudicio et summa peritia opus est, ut malum primum ratione diagnostica statuatur atque sanetur. Praeterea velut morbi sociae etiam hominum inscitia, opiniones praesumptae, temeritas ac negligentia etc. accedunt, quae medico curandi methodum, quam instituit, aegroto morbi sanationem saepe difficillimam reddunt, eamque adeo, quod dolendum est, interdum omnino impediunt, quo fit denique, ut mors, si mala secundaria oriantur, evitari nequeat.

Si artis medicae historiam respexerimus, facile nobis liquebit, morbum illum, ut primum exortus esset, summa vehementia ac malignitate fuisse, eamque vero

postea magis magisque amisisse, quum melius cognosceretur atque tractaretur. Qui morbus, quamvis hoc maxime tempore nisi paucis in casibus, qui de norma excipiendi sunt, malam primae originis indolem non praebeat, nihilo tamen minus pro inimico hominum deterrimo habendus est, qui, nisi quisque, sive medicus sit sive non sit, omnibus scientiae et scrutationis remediis viribusque ei repugnare conetur, semper fons manebit, ex quo totis hominum generibus atque populis mala immensa nascantur: id quod in formis endemicis locorum maritimorum novimus.

Neminem medicum, usu et eruditione praeditum, quanti momenti sit, ut ad cognoscendum hunc morbum quam proxime accedatur, ullo in dubio ponere, libri nos docent, qui a medicis chirurgisque nobilissimis peritissimis saeculi quinti decimi — undevicesimi de syphilide conscripti sunt. Quisque verbis et re, opinionibus et curandi methodis, tum prudentissimis tum ineptissimis, huic morbo repugnare conabatur, prout vera humanitas, vel conscientia officii bene tuendi, vel ambitio et famae cupiditas, vel medici ostentatio judicandi agendique rationem suadebat. Ita et commentationes statisticas nonnunquam prodire videmus, quae imaginem universalem perspicuamque hujus morbi, qualis in regionibus majoribus minoribusve oriatur, nobis offerant. Sed ejusmodi opera statistica, si non errores contineant de industria illatos, sed justa fide exhibeantur, non levissima sunt adminicula morbi cognoscendi, praesertim si sanitatis consilia respicias, quibus illi occurrendum sit.

Examine rigoroso prospere superato, quum a gratioso medicorum ordine ad componendam dissertationem inauguralem provocarer, ad Adelmannum, pro-

fessorem illustrissimum, me contuli, ut in eligendo argumento idoneo consilium ab eo peterem. Ille auctor mihi et suasor fuit, ut exempla syphilidis, quae in aedibus chirurgicis instituti nostri clinici inde ab anno 1843 ad annum 1853 observata erant, brevi in conspectu statistico proponerem. Quod consilium libenter secutus sum, quum et ipse, quanti syphilis momenti sit, me cognovisse arbitrer, quumque omnino necessarium mihi videatur, quam certissime ac diligentissime illam impugnare.

Non possum, quin commentationem meam modo conatum esse dicam, quo omnes syphilidis casus in conspectu statistico proponantur, quum haud nescius sim, quasvis studiorum primitias magis minusve jam per se vitiis abundare, in meo autem opusculo insuper quaedam manca et imperfecta accessisse, quoniam fontes — libri indices et commentarii, morbique historiae a medicis tironibus in instituto clinico chirurgico de aegrotis syphiliticis editae — ex quibus materiam dissertationis petivi, nequaquam ad statuendam rationem accuratiorem statisticam compositi sunt. Haec animo reputans, spero etiam fore, ut lectores benevoli hocce opusculum tum indulgenter accipiant, tum benigne de eo judicent, quum et idem ipsum non aliud spectet, nisi ut hujus rei cognitio et scientia quam maxime adjuventur.

Denique gratias ago quam intimas Adelmanno professori, praeceptori honoratissimo, quippe qui non solum animo promptissimo in conscribenda hac commentatione me adjuverit, sed etiam, quotiescunque in morbi casibus exiguae meae artis peritiae parum confisus sum, petenti consilium amicissime dederit.

Pars prima.

Quaedam de momentis universalibus explicationes.

Temporis spatium, quo ea syphilidis exempla in instituto clinico chirurgico observata sunt, quae hujus dissertationis fundamentum constituunt, medio mense Januario a. 1843 incipit atque ad extremum usque mensem Decembrem a. 1853 procedit, ergo undecim annos integros amplectitur. Opusculum meum commentationi, ab Adelmano prof. editae, quae „Uebersicht der Krankheiten der Geschlechtstheile etc.“¹⁾ inscribitur, quodammodo sese adjungit, verumtamen eatenus ab illa discrepat, quod gonorrhoeas genitalium — sive contagiosae sunt sive non sunt — earumque sequelas ad syphilidem non retuli. Cujus rei causa inferius in parte II uberius exponetur.

Sequuntur jam aliquot capita, in quibus de momentis universalibus accuratius agitur, quorum in pertractando argumento meo accuratior omnino habenda fuit ratio.

Caput I.

Numerus aegrotorum.

Ut facilius fieret conspectus et comparatio numerorum, in capitibus singulis, quum illos componerem, saepe formam

1) Medicinische Zeitung Russlands, Jahrgang 1844.

elegi tabularem, praesertim ubi indicia plurium annorum respiciebantur.

Haec tabula, ad singulos annos relata, breviori conspectu indicat: numerum tum aegrotorum omnium tum syphiliticorum, quorum nomina in libris indicibus instituti clinici chirurgici singulis annis notata sunt¹⁾, deinde numerum syphiliticorum, cum numero eorum comparatum, qui syphilde non laborarunt, tum numerum totum omnium aegrotorum, qui intra undecim annos observati sunt, denique numerum medium.

| Annus. | 1843 | 1844 | 1845 | 1846 | 1847 | 1848 | 1849 | 1850 | 1851 | 1852 | 1853 | Summa undecim annorum. | Numerus aegrotorum unius anni. |
|--|------|------|-------|------|------|------|-------|------|-------|------|-------|------------------------|--------------------------------|
| Aegroti omnes notati. | 548 | 616 | 568 | 878 | 660 | 821 | 709 | 1110 | 753 | 1156 | 1103 | 8822 | 802 |
| Syphilitici. | 63 | 59 | 51 | 138 | 94 | 110 | 46 | 121 | 47 | 122 | 75 | 926 | 84,18 |
| Numerus proportionalis syphiliticorum cum numero aegrotorum non syphiliticorum comparatur. | 7,7. | 9,4. | 10,1. | 5,3. | 6,0. | 6,4. | 14,4. | 8,1. | 15,0. | 8,4. | 12,3. | | 8,5 |

Quaesiverit aliquis, quo fiat, ut numerus aegrotorum alternis annis multo major existat.

Causa hujus discriminis in eo sita est, quod instituto clinico chirurgico alternis annis duo chirurgiae professores diversi praeerant, quorum alter altero semper plures aegrotos in curam accipere solebat. Institutum clinicum ab ineunte demum a. 1846 alternatim administrari coeptum est, quo tempore alter chirurgiae professor primum auspicia suscepit.

Duae series, quae sequuntur, annis alternis respondent, quibus unus vel alter professorum instituto clinico chirurgico praefuit: unde ea, quae supra diximus, comprobari possunt.

1) Si certis verbis de aegrotis syphiliticis instituti clinici chirurgici supra dixi, hac re significari volo, in altera quoque parte therapeutica quibusdam syphilidis casibus, praesertim formis secundariis morbisque ex illa ortis curam adhibitam esse: quos casus in ulteriore commentationis progressu nunquam respiciam.

| Annus. | Numerus omnium ae- grotorum. | Syphi- litici. | Numerus proport. in- ter utrosque. | Annus. | Numerus omnium ae- grotorum. | Syphi- litici. | Numerus proport. inter utrosque. |
|--------|------------------------------------|-------------------|--|--------|------------------------------------|-------------------|---|
| 1843 | 548 | 63 | 7,7.. | 1844 | 616 | 59 | 9,4.. |
| 1845 | 568 | 51 | 10,1.. | 1846 | 878 | 138 | 5,3.. |
| 1847 | 660 | 94 | 6,0.. | 1848 | 821 | 110 | 6,4.. |
| 1849 | 709 | 46 | 14,4.. | 1850 | 1110 | 121 | 8,1.. |
| 1851 | 753 | 47 | 15,0.. | 1852 | 1156 | 122 | 8,4.. |
| 1853 | 1103 | 75 | 12,3.. | | | | |

Multitudinem aegrotorum paene continenter crevisse videmus ita, ut anno 1853 eorum numerus duplo major quam a. 1843 evaserit. Quae multitudinis incrementa certe non ducenda videntur nisi ex majore fiducia, quam institutum clinicum magis in dies sibi conciliat: unde laeto animo cognovimus, opiniones falso de instituto clinico praesumptas (vide inferius plura de hac re), quibus homines inferioris ordinis, qui maximam aegrotorum multitudinem in curam tradunt, plerumque ducuntur, paullatim magis evanescere. Numerus syphiliticorum et numerus eorum proportionalis, quem reperiemus, si aegrotos aliis morbis affectos respexerimus, pro instituti clinici ductu et auspicio diversi apparent. In priore serie (vide compositionem ultimam) numerus syphiliticorum omnino minor est quam in altera; quod idem de numero proportionali dicendum est. In utraque hac serie numerus proportionalis semper magis decrescit.

Hinc optimo jure adducimur, ut, quamvis numerus omnium aegrotorum atque etiam syphiliticorum accreverit, nihilo secius tamen numerum proportionalem inter syphiliticos et homines aliis morbis affectos minorem evasisse concludamus.

Reperto numero medio ex 8,5 aegrotorum, qui aliis morbis laborabant, singulos syphilide affectos observavimus.

Qui eventus sane parum prosperi sunt, quum frequentiam morbi exitiosi saepissime testentur.

Si numeros proportionales, quales annis continuis fuerint, inter se comparemus, eosque ad ordinem magnitudinis redigamus, anni hunc in modum deinceps sequuntur.

| Annus. | Num. medius. | Annus. | Num. medius. |
|--------|--------------|--------|--------------|
| 1851 | 15,0.. | 1850 | 8,1.. |
| 1849 | 14,4.. | 1843 | 7,7.. |
| 1853 | 12,3.. | 1848 | 6,4.. |
| 1845 | 10,1.. | 1847 | 6,0.. |
| 1844 | 9,4.. | 1846 | 5,5.. |
| 1852 | 8,4.. | | |

Numerus syphiliticorum pro rata minimus anno 1851, maximus annis 1846, 1847 et 1848 invenitur.

Notandum est, maximam syphilidis frequentiam cum dysenteria epidemica acerrima (a. 1846), nec non cum cholera epidemica (a. 1848) in idem tempus incidisse: quae res haud sane fortuita haberi potest. Anno enim 1846 ex 138 casibus syphiliticis 86 inde a mense Sextili usque ad exitum Decembris, anno 1847, quo omnino 94 casus sunt notati, solis mensibus Januario et Febuario 40 numerantur. Dysenteria autem his locis — quotannis enim sporadice oritur, suaeque piacula requirit — plerumque paulo ante, quam fruges maturescunt, circiter extremo mense Quintili vel etiam in eunte Sextili incipit. Sic etiam anno 1846 dysenteria, ut jam supra commemoravimus, induta indole epidemica, usque ad exitum mensis Septembris tenuit. Septima incolarum pars, fortasse etiam plures, dysenteria correpti sunt. Ipso morbi exitu prosperrimo, sanatio interdum tardissime processit. Ex morbi epidemia adeo diffusa et intensa necesse est organismi prostratio et debilitas oriantur, quae viro cuiusvis generis fundamentum fertile praebent, quum pro languore corporis universali reactionem satis validam adversus

virum, quod penetravit, producere nequeant. Praeterea respicienda est morum corruptio et licentia cupiditatum, quae grassantibus epidemiis adesse solent; quum enim mortem quodammodo obambulantem videant, multi se aequae facile quovis momento absumi posse credunt, ideoque omnibus voluptatibus libidinosi, praesertim in Baccho et Venere, metum comprimere conantur. Hinc frequentia syphilidis simplicissime explicatur. Idem de cholera epidemica anni 1848 dicere licet.

Caput II.

Aetas.

Numeros certissimos tantum afferre possumus de aegrotorum nostrorum sexu, quippe qui sine ullo errore a medico statui possit. Quod attinet ad aetatem et nationis proprietatem, idem hoc in casu nobis accidit atque botanicis et zoologicis, qui nonnunquam ignorant, utrum quaedam entia ad regnum animantium an vegetabilium referenda sint.

Saepe enim ac praesertim in agrestium nostrorum numero homines reperimus, quorum habitus conditionibus miseris, si eorum tum domicilia tum alimenta et immunditiam respiciamus, adeo confectus et debilitatus est, ut eos aetate longe proveciore esse concludamus, quam qua re vera sunt. Contra ea non minus nos fallit exigua corporis evolutio, unde adducimur, ut homines 16—17 annorum non majores natu quam 11—12 annorum esse existimemus. Jam igitur credideris, si ex aegrotis aetatem quaesiveris, et illi ad eam quaestionem responderint, omnem protinus dubitationem tolli debere. Sed non est ita. Agrestes enim non annum, quo geniti, sed eum, quo doctriam christianam palam professi sint, ad computandam suam aetatem referunt. Aetatem, rogati, primo in memoriam sibi revocant tempus confirmationis

atque deinde, quot anni circiter ad momentum praesens intercesserint, ex arbitrio significare conantur.

Qua adhibita computandi ratione, aetatem nequitam accuratius statui posse, manifestum est. Agrestes aetatem libenter ad numeros plenos et integros reducunt, unde fit, ut inter annos, qui infra allati sunt, numeros pro rata maximos in ea aetate reperiamus, cujus significatio in 5 vel 0 exeat. Nimirum id dicendum est de aegrotis rudibus et incultis, sive oppidani sive rustici sunt. Ceterum is error, ubi plurimum, ad annos 2 vel 3 referendus est.

| Aetas. | | Sexus. | | Summa. | Cyclos septennis. | Numerus proportionalis inter mares et feminas. |
|-----------------------------------|---------|--------|---------|--------|-------------------|--|
| Annus. | Mensis. | Mares. | Feminae | | | |
| — | 1½ | 1 | 0 | 1 | | 0 : 1 |
| — | 2 | 1 | 1 | 2 | | 1 : 1 |
| — | 3 | 1 | 0 | 1 | | 0 : 1 |
| — | 4 | 2 | 1 | 3 | | 1 : 2 |
| | 6 | 1 | 0 | 1 | | 0 : 1 |
| | 9 | 0 | 2 | 2 | | 2 : 0 |
| | 11 | 0 | 1 | 1 | 11 | 1 : 0 |
| 1 | — | 1 | *) | 3 | | |
| 1½ | | 1 | 0 | 1 | | 0 : 1 |
| 1½ | | 2 | 0 | 2 | | 0 : 2 |
| 2 | | 3 | 4 | 7 | | 1 : 0,75 |
| 2½ | | 1 | 1 | 2 | | 1 : 1 |
| 3 | | 2 | 0 | 2 | | 0 : 2 |
| 4 | | 2 | 1 | 3 | | 1 : 2 |
| 5 | | 2 | 2 | 4 | | 1 : 1 |
| 7 | | 3 | 2 | 5 | 29 | 1 : 1,5 |
| 8 | | 0 | 1 | 1 | | 1 : 0 |
| 9 | | 2 | 0 | 2 | | 0 : 2 |
| 10 | | 2 | 2 | 4 | | 1 : 1 |
| 11 | | 0 | 1 | 1 | | 1 : 0 |
| 12 | | 0 | 2 | 2 | | 2 : 0 |
| 13 | | 1 | 3 | 4 | | 1 : 0,33... |
| Summa hominum aetatis infantilis. | | 28 | 26 | 54 | | 1 : 1,07... |
| 14 | | 1 | 4 | 5 | 19 | 1 : 0,25 |
| 15 | | 2 | 2 | 4 | | 1 : 1 |
| 16 | | 7 | 4 | 11 | | 1 : 1,75 |
| 17 | | 5 | 4 | 9 | | 1 : 1,25 |

*) Duorum infantium sexus indicatus non est.

| Aetas. | Sexus. | | Summa. | Cyclos septennis. | Numerus proportio- nalis inter mares et feminas. |
|--------|--------|---------|--------|----------------------|--|
| | Mares. | Feminae | | | |
| 18 | 18 | 11 | 29 | | 1 : 1,6.. |
| 19 | 35 | 14 | 49 | | 1 : 2,5 |
| 20 | 53 | 28 | 81 | | 1 : 1,9.. |
| 21 | 46 | 10 | 56 | 239 | 1 : 4,6 |
| 22 | 37 | 14 | 51 | | 1 : 2,6.. |
| 23 | 49 | 19 | 68 | | 1 : 2,5.. |
| 24 | 44 | 16 | 60 | | 1 : 2,7.. |
| 25 | 49 | 26 | 75 | | 1 : 1,8.. |
| 26 | 23 | 9 | 32 | | 1 : 2,5.. |
| 27 | 23 | 5 | 28 | | 1 : 4,6 |
| 28 | 34 | 8 | 42 | 356 | 1 : 4,2.. |
| 29 | 15 | 3 | 18 | | 1 : 5 |
| 30 | 27 | 23 | 50 | | 1 : 1,1.. |
| 31 | 11 | 6 | 17 | | 1 : 1,9.. |
| 32 | 13 | 3 | 16 | | 1 : 4,3.. |
| 33 | 11 | 5 | 16 | | 1 : 2,2 |
| 34 | 5 | 1 | 6 | | 1 : 5 |
| 35 | 18 | 6 | 24 | 147 | 1 : 3 |
| 36 | 7 | 2 | 9 | | 1 : 2,5 |
| 37 | 3 | 2 | 5 | | 1 : 1,5 |
| 38 | 2 | 4 | 6 | | 1 : 0,5 |
| 39 | 4 | 0 | 4 | | 0 : 4 |
| 40 | 13 | 8 | 21 | | 1 : 1,6.. |
| 41 | 2 | 0 | 2 | | 0 : 2 |
| 42 | 5 | 2 | 7 | 54 | 1 : 2,5 |
| 43 | 0 | 1 | 1 | | 1 : 0 |
| 45 | 7 | 3 | 10 | | 1 : 2,3.. |
| 46 | 5 | 4 | 9 | | 1 : 1,25 |
| 48 | 1 | 2 | 3 | | 1 : 0,5 |
| 49 | 4 | 0 | 4 | 27 | 0 : 4 |
| 50 | 3 | 7 | 10 | | 1 : 0,4.. |
| 52 | 0 | 1 | 1 | | 1 : 0 |
| 53 | 0 | 1 | 1 | | 1 : 0 |
| 54 | 2 | 0 | 2 | | 0 : 2 |
| 55 | 1 | 0 | 1 | | 0 : 1 |
| 56 | 2 | 0 | 2 | 17 | 0 : 2 |
| 57 | 0 | 1 | 1 | | 1 : 0 |
| 59 | 1 | 0 | 1 | | 0 : 1 |
| 60 | 1 | 2 | 3 | | 1 : 0,5 |
| 61 | 1 | 0 | 1 | | 0 : 1 |
| 63 | 0 | 1 | 1 | 7 | 1 : 0 |
| 65 | 1 | 0 | 1 | | 0 : 1 |
| 70 | 0 | 1 | 1 | 2 | 1 : 0 |

Aetatem, si accuratius eam contemplemur, in omnibus stadiis, a pueritia tenerrima usque ad extremam senectutem, repraesentatam invenimus, nam inter syphiliticos illos infans minimus sex hebdomales, homo aetatis provectissimae septuaginta annos nati erant: unde re ipsa probari videmus, nullam aetatem ab infectione, quacunque via accidat, tutam ac munitam esse. In quibusdam autem aetatis gradibus infectionem frequentissimam esse animadvertimus. Si numerum syphiliticorum in tabula superiore ad singulos aetatis annos referimus, haec efficitur series, in qua singuli aetatis gradus ex infectionum frequentia compositi sunt:

| Numerus hominum syphilitide affectorum. | Aetas. | | Annus aetatis. | | |
|---|----------------|---------------------|----------------|------------|----|
| | Menses. | Annus. | | | |
| 1 | | | 7 | 2. 42 | |
| | | | 9 | 17. 36. 46 | |
| | $1\frac{1}{2}$ | 8. 61 | 10 | 45. 80 | |
| | $\frac{3}{5}$ | 11. 63 | 11 | 16 | |
| | 6 | 43. 65 | 16 | 32. 33. | |
| | 11 | 52. 70 | 17 | 31 | |
| | 15 | | 53 | 18 | 29 |
| | | | 55 | 21 | 40 |
| | | | 57 | 24 | 35 |
| | | | 59 | | |
| | | | | 28 | 27 |
| | | | | 29 | 18 |
| 2 | 2 | $1\frac{1}{2}$. 12 | 32 | 26 | |
| | 9 | $2\frac{1}{2}$. 41 | 42 | 28 | |
| | | 3. 54 | 49 | 19 | |
| | | 9. 56 | 50 | 30 | |
| 3 | 4 | 1.48 | | 22 | |
| | | 4. 60 | 51 | | |
| 4 | Annus. | | 56 | 21 | |
| | | 5. 15 | 60 | 24 | |
| | | 10. 39 | 68 | 23 | |
| | | 13. 49 | | | |
| 5 | | 7. 14. 37 | 75 | 25 | |
| 6 | | 34. 38 | 81 | 20 | |

Secundum haec, quae supra composuimus, syphilis rarissime primo aetatis anno et ab anno 50 ad 70 reperitur,

quo casu posteriore rarius coitu, saepius alio infectionis modo provocari videtur. Priore casu nimirum aut ex convictu cum syphiliticis efficitur, aut etiam congenita est.

Saepissime et semper fere syphilis coitu acquisita anno aetatis 20—30 exoritur. Numerus eorum, qui hac vitae aetate contagio inficiuntur, 0,6. totius summae syphiliticorum adaequat. Ab anno vicesimo, quod velut fastigium est infectionis crebrescentis, et quidem tum supra tum infra hoc tempus, frequentia syphilidis magis magisque decrescit, donec in ipso limite aetatis ineuntis et exeuntis aegrotorum, quos significavimus, undecim annis in singulos syphiliticos decidit. Ceterum satis bene explicari potest, cur illa aetatis periodo, quam diximus, infectiones frequentissime reperiantur, quum scilicet animi cupiditates, ut primum excitatae sunt, nimis crebro, nonnumquam adeo praeter modum expleantur, atque igitur haec vitae ratio irregularis libidinumque intemperantia syphilidem adjuvent ac tueantur. Neque hoc in nostris tantum regionibus accidit, sed in aliis etiam terris, quae iisdem nobiscum conditionibus utuntur, quoniam et hic et illic hominis evolutio pari modo progreditur. In regionibus meridianis frequentia infectionis, praecipue inter homines sexus muliebris, fortasse etiam in maturiorem aetatis periodum cadit.

Caput III.

Sexus.

Aditum petierunt omnino ex syphiliticis 636 mares, 288 feminae. Qui homines in singulos annos hoc modo dispersiti sunt:

| Annus. | 1843 | 1844 | 1845 | 1846 | 1847 | 1848 | 1849 | 1850 | 1851 | 1852 | 1853 | Summa. | Numerus medius ad singulos annos relatus. |
|--|-------|-------|-------|-------|-------|-------|-------|-------|-------|-------|-------|--------|---|
| Mares. | 34 | 33 | 35 | 87 | 60 | 72 | 36 | 94 | 29 | 97 | 59 | 636 | 57,8.. |
| Feminae. | 29 | 26 | 15 | 51 | 34 | 37 | 10 | 27 | 18 | 25 | 16 | 288 | 26,1.. |
| <i>Proportio inter feminas et mares.</i> | 1,1.. | 1,3.. | 2,3.. | 1,7.. | 1,7.. | 1,9.. | 3,6.. | 3,4.. | 1,6.. | 3,8.. | 3,6.. | 2,2.. | — |

Adnotatio. Annis 1845 et 1848 sexus duorum infantium indicatus non est: quam ob rem numerus marium omnium feminarumque minime totam syphiliticorum summam, jam prius traditam, sed modo 924 efficit.

Anno 1843 pro rata parte plurimae feminae syphilide infectae sunt, nam singulae feminae in 1,1.. marium cadunt. Sed paulatim numerus proportionalis magis decrescit ita, ut anno 1853 feminae ad mares paene ea ratione habeantur, qua 1 ad 4; proinde earum numerus paene ad dimidiam partem reducitur. Numero medio autem in singulis feminis 2,2.. marium reperiuntur, unde perspicui potest, mares numero quam certissime praeponderare.

Sicut ex tabula liquet universali, quam de aetate proposuimus, ubi jam simul numeri proportionales, quales omnibus aetatis annis inter mares et feminas fuerint, singulatim allati sunt, haec ratio inter 0 : 4 et 2 : 0 maxime variat. Quae ejus variatio minime ad certas conditiones redigi potest, sed ex momentis fortuitis incertis efficitur. Jam numeri proportionales inter feminas maresque computati, inde a 0 : 4 usque ad 2 : 0 adscensim per singulos eorum gradus deinceps sequuntur, simulque adjicitur aetas, ad quam singulae proportionales referendae sunt.

| Proportio inter feminas maresque. | A e t a s. | Proportio inter feminas maresque. | A e t a s. |
|-----------------------------------|--------------------|-----------------------------------|--------------------|
| 0 : 4 | 39. 49 | 1 : 1,9... | 20. 31 |
| 0 : 2 | 1½. 3. 9. 41 | 1 : 1,8.. | 25 |
| | 54. 56 | 1 : 1,75 | 16 |
| 0 : 1 | Mensium: | 1 : 1,6 | 40. 18 |
| | 1½. 3. 6 — | 1 : 1,5 | 7. 37 |
| | Annorum: | 1 : 1,25 | 17. 46 |
| | 1½. 55. 59. 61. 65 | 1 : 1,1.. | 30 |
| 1 : 5 | 29. 34 | 1 : 1 | Mensium: 2 |
| 1 : 4,6.. | 21. 27 | | Annorum: 2½. 5 |
| 1 : 4,3.. | 32 | | 10. 15 |
| 1 : 4,2.. | 28 | 1 : 0,75 | 2 |
| 1 : 3 | 35 | 1 : 0,5 | 38. 48. 60 |
| 1 : 2,7.. | 24 | 1 : 0,4 | 50 |
| 1 : 2,6.. | 22 | 1 : 0,33.. | 13 |
| 1 : 2,5.. | 23. 26 | 1 : 0,25 | 14 |
| 1 : 2,5 | 19. 36. 42 | 1 : 0 | Mensium: 11 |
| 1 : 2,5.. | 45 | | Annor.: 8. 11. 43. |
| 1 : 2,2 | 33 | | 52. 53. 57. 63. 70 |
| 1 : 2 | Mensium: 4 | 2 : 0 | 9. 12 |
| | Annorum: 4 | | |

Quamquam igitur in universum, habita feminarum ad mares ratione, numerus marium longe praeponderat, nihilo secius tamen in aetate infantili atque senili variatio quaedam existit, quum nonnullis aetatis annis modo sexus muliebris, modo virilis magis repraesentetur. Nonnullis tantum infantiae annis numerus syphiliticorum utriusque sexus exaequatur, sic in aetate duorum mensium, 2½, 5, 10 et 15 annorum; neque nisi perpauca annis sexum muliebrem virili sexu superiorem numero esse videmus.

Ex his vix quidquam licet colligere, quod ad omnes casus valeat, quum in numeris proportionalibus supra compositis certus ordo et norma reperiri non possit, quumque proportionales observatae in instituto clinico nostro ullum iudicandi modum non praebeant; nam sicut homines opulenti, ita et homines sexus muliebris in universum curationem

clanicum rarius requirunt, quoniam famam integritatis, quam sibi esse credunt, ibidem facilius quam alio loco in discrimen vocari posse arbitrantur.

Caput IV.

Cujus regionionis et ordinis ii sunt aegroti, qui auxilium instituti clinici petunt.

Plurimorum plebis et adeo ordinis medii non insolita est opinio, aegrotos instituto clinico ad id tantum recipi, ut adhibendis instrumentis chirurgicis remediisque chemicis aut voluptatis aut literarum causa experimenta in illis instituantur, neque vero, ut aegroti celeriter ac tuto sanentur. Quam ob rem salutem aegrotorum, qui, neglecta hac opinione horrida, institutum clinicum adeunt, plurimi a priori desperant, atque vehementer mirantur, si forte comperiant, nonnullos tamen inde salvos evasisse. Dico vulgatam hanc esse inter indoctos opinionem; at nihilo tamen minus in ipsis ordinibus supra memoratis homines pauci inveniuntur, qui, si veram rei conditionem ex aliis cognoverint, iis fidem tribuant, aut alii, qui ipsi in se beneficia perceperint magnique aestimaverint, quae curatio clinica multis aegrotis miseris praebeat. Ita accidit, ut homines, quum in instituto clinico ante 15—20 annos aegri cubuissent, neque nisi adhibita operatione sanari possent, postea tamen, si denuo in morbum quemlibet inciderant, auxilium petitori illuc redirent.

Homines indocti, quamquam tanta saepe egestate et inopia omnium rerum premuntur, ut, si morbo corripiantur, medicamenta necessaria sibi comparare nequeant, nihilo minus tamen, quum opinionibus supra dictis deterreantur, institutum clinicum adire recusant. Immo potius auxilium antea

petunt a mulieribus vetulis, aliisque hominibus artis medicae imperitis, qui aut via inani ac superstitiosa malum remove-
 conantur, aut, nisi statim cesserit, medicamenta acerrima non
 reformidant, eorumque adeo doses immensas aegrotis offe-
 runt. Tum demum, quum aegroti miseri morbum ex ipsa
 methodo posteriore magis etiam ingravescere senserint, me-
 dici auxilium petunt. Si vero aegroti deficientibus pecuniis
 impediuntur, quominus medicamenta amplius sibi emant, aut
 si malum nimis increvisse vident, plerumque pavidi ac tre-
 mentes ad ultimum refugium — institutum clinicum — se
 conferunt, ubi tamen auxilium expectatum jam non semper
 reperiunt. Sunt enim, qui opem clinicam tum etiam, quum
 omnia alia jam experti fuerint, postulari posse censeant: :
 cujus rei ceterum nemo sane ullum sibi jus peperit; nam
 vehementer falluntur, qui institutum clinicum hospitium esse
 putent, quo aegroti pauperes recipiantur et curentur; at vero
 hoc non agitur, ut paupertati subveniatur, sed ut literae me-
 dicae et ars practica in usum civium academicorum adjuven-
 tur et augeantur. Itaque in institutum clinicum plerumque
 homines ineruditi et inopes ex rusticorum ordine, praeterea
 famuli, tabernarum alumni et opifices, mercenarii, cursores
 publici, alii oppidani, praesertim Dorpatenses, ad petendam
 curationem aggrediuntur. Homines vero modice locupletes
 ordinum superiorum tum fere semper auxilium instituti cli-
 nici requirunt, si hospites sunt hujus urbis, atque ideo cu-
 ratione domestica idonea uti non possunt, aut si jam quoquo-
 versus ad opem impetrandam se converterunt, neque tamen
 ullam morbi sanationem adepti sunt.

Quod attinet ad syphilidem in specie, homines illa af-
 fecti plurimi erant oppidani, ac praecipue ab ipso Dorpato
 oriundi, qua quidem in urbe fons existere videbatur, unde
 venenum contagii haurirent; pauci tantum ruri vitam degerant,
 quo morbus etiam ex urbe translatus erat. Hoc jam ea re

demonstratur, quod homines rustici syphilide infecti plerumque agrestes erant, qui ex praediis rusticis proxime urbem sitis huc accesserant. Ruri saepius accidit, ut, si syphilis in pago aliquo exorta erat, non singuli tantum vel bini, sed omnes fere homines familiares eo morbo inficerentur. Qua de causa non raro patres, matres, liberi, omnes syphilide, et diversis quidem ejus gradibus affecti, in instituto nostro conspiciebantur. Inscientia, edendi et bibendi immunditia, vasa escaria communia, cubicula dormitoria, balnea, loca angusta et sordida, quibus multi nimis conferti degunt, alia satis praebent occasionis, qua contagium perniciosum celerius et latius diffundatur et propagetur.

Homines syphilide infecti, qui inter oppidanos relati sunt, non semper re vera urbis erant incolae, sed plurimi eorum ad tempus in hac urbe commorabantur, imprimis famuli, opifices, mercenarii, alii. Qui oppidanorum nomine significati erant, hi reliquos omnes ex rure in urbem compulsos numero longe superabant. Raro syphiliticos ex aliis urbibus longinquioribus et provinciis imperii terrarumque externarum instituto nostro receptos videmus. Eorum autem, qui ex urbibus remotioribus advenerant, civitas potius, cui adscripti erant, nec vero syphilidis origo significabatur, quum plerique demum Dorpati urbe morbum sibi contraxissent.

Ceterum nihil omnino interest, utrum aliquis ex his locis an aliunde ortus sit. Hoc semper quam maxime respiciendum est, ubi quis syphilidem contraxerit: quapropter Dorpatensium notata sunt nomina multorum, qui certe in urbe nostra nec nati nec diutius commorati erant, sed modo in ea syphilidem contraxerant.

Ut multitudinem hominum Dorpati infectorum, ratione habita eorum, qui alio loco syphilide correpti fuerant, longe superiorem fuisse demonstrarem, numerum inter utrosque proportionalem quaesivi, quem ad singulos annos referrem,

numero hominum extra urbem infectorum ad unitatem constituto.

| Annus. | 1843 | 1844 | 1845 | 1846 | 1847 | 1848 | 1849 | 1850 | 1851 | 1852 | 1853 | Summa. |
|---|-------|-------|-------|-------|-------|------|-------|-------|-------|-------|------|--------|
| Syphilitici omnes. | 63 | 59 | 51 | 138 | 94 | 110 | 46 | 121 | 47 | 122 | 75 | 926 |
| Syphilitici Dorpatenses. | 11 | 15 | 23 | 80 | 43 | 60 | 24 | 75 | 28 | 84 | 60 | 503 |
| Numerus proport. eorum, qui extra et intra Dorpatum infecti sunt. | 0,21. | 0,34. | 0,82. | 1,37. | 0,84. | 1,2. | 1,09. | 1,63. | 1,47. | 2,21. | 4. | 1,18.. |

Hinc satis manifestum est, infectionem Dorpati longe latius diffusam fuisse; nam quatuor tantum annis numerus proportionalis infra 0 decidit, omnibus vero reliquis multum supra 1 accrescit, atque anno 1852 jam 2,21., anno 1853 adeo 4 adaequat. — Ut jam admonuimus, syphilis ruri longe rarius occurrit, ibique semper fere certis tantum locis, uti in villis rusticis, in familiis singulis pagisque, satis celeriter evolvitur, nisi aegroti ipsi statim sanationem sibi curae habeant, aut praediorum administratores, de ea re certiores facti, auxilium, quo opus sit, illis afferant. Ita quibusdam annis syphilitici rustici ex nonnullis tantum praediis plurimi in institutum clinicum et in nosocomium urbis publicum se conferebant, aut inviti mittebantur, nisi in ipsis praediis nosocomia propria suppetebant, quorum in regionibus nostris adhuc omnino maxima penuria existit. Quibusdam praediis hoc maxime proprium est, quod singulis fere annis syphilitici ex eorum pagis in institutum clinicum accedunt: quae sit, ut nomina praediorum illorum in libris analibus clinicis nunquam deficient. Quae praedia maxima ex parte ejusmodi sunt, quorum agrestes in frequentiore usu et commercio cum oppidanis versantur, aut ex quibus multi homines sexus muliebris in urbem ad subeunda ancillarum officia dimittuntur.

Caput V.

Cujus nationis sunt syphilitici, curationem clinicam petentes?

Omnino homines ex octo nationibus diversis oriundi, qui syphilide laborabant, in clinico nostro nomina dederunt, Germani, Esthoni, Letti, Russi, Poloni, Fenni, Sueci, Judaei. Verumtamen ex his tres tantum memorandae sunt nationes, quippe quae numerum incolarum tum nostrae urbis tum locorum ei propinquorum constituent; nam ex reliquis quinque nationibus homines nonnulli interdum, quum transeuntes per tempus breviter Dorpati commorarentur, in instituto clinico auxilium petierunt.

In provinciis Russicis ad mare Balticum sitis longe plurimi urbes incolunt Germani, praeterea pro regionis situ Esthoni aut Letti, qui illorum linguam moresque adsciverunt, rarius Esthoni aut Letti gentiles atque Russi; accedit in Curonia ingens Judaeorum multitudo. Ruri autem ratio¹ contraria est; nam Esthoni aut Letti ibi propriam nationis frequentiam constituunt, nec nisi parcius intermixti reperiuntur Germani, in his praediorum domini, sacerdotes, villici, alii. Esthoni et Letti in universum ubique partem efficiunt incolarum egentiorum, qui famulantur et operibus asperis accinguntur, Germani vero eam, quae fortunatiores opulentioresque amplectitur. Quae vitae conditio Esthonis Lettisque satis infert causae, ut, quam primum possint, ex rebus afflictis emergere atque ad Germanorum locum provehi studeant, quum simul eorum linguam addiscant atque vestitum gentis proprium cum Germanico commutent. Immo vero etiam originem suam dissimulare conantur, quippe cujus eos pudeat. Quam ob rem nomina sua, quae facile stirpis originem prodere possint, immutant eaque in formas Germanicas

redigunt; ita paullatim re vera in eandem ad populares suos rationem transeunt, quam Germani obtinent, atque brevi etiam in Germanorum numero referuntur. Hinc intelligitur, quam difficile nonnunquam sit Esthonos Lettosque ab ipsis Germanis internoscere, idque tum praecipue, quum illi in ultimo gradu, quo ad Germanorum vitam moresque proxime accesserint, nobis objiciantur. Ex his rebus, nec non ex eo, quod plurimi Esthoni Lettique, abjecta nationis proprietate, inter Germanos se numerari concupiscunt, magnae in judicandis nationibus nascuntur difficultates, quibus idcirco et meae de illis explicationes carere non possunt.

Sequuntur jam brevi in conspectu nationes ad singulos annos relatae:

| Nationes. | 1843 | 1844 | 1845 | 1846 | 1847 | 1848 | 1849 | 1850 | 1851 | 1852 | 1853 | Sum- ma. |
|-----------|------|------|------|------|------|------|------|------|------|------|------|-------------|
| Esthoni. | 35 | 34 | 21 | 58 | 53 | 64 | 22 | 42 | 17 | 44 | 22 | 412 |
| Mares. | 11 | 14 | 9 | 21 | 24 | 29 | 13 | 27 | 5 | 23 | 14 | 191 |
| Feminae. | 24 | 20 | 12 | 37 | 29 | 34* | 9 | 15 | 12 | 21 | 8 | 221 |
| Germani. | 11 | 11 | 19 | 48 | 25 | 34 | 15 | 62 | 24 | 54 | 33 | 336 |
| Mares. | 10 | 9 | 15 | 43 | 25 | 32 | 15 | 54 | 21 | 51 | 30 | 305 |
| Feminae. | 1 | 2 | 3** | 5 | 0 | 2 | 0 | 8 | 3 | 3 | 3 | 30 |
| Russi. | 7 | 9 | 8 | 29 | 13 | 9 | 6 | 14 | 4 | 15 | 11 | 125 |
| Mares. | 4 | 6 | 8 | 21 | 9 | 8 | 5 | 10 | 2 | 12 | 6 | 91 |
| Feminae. | 3 | 3 | 0 | 8 | 4 | 1 | 1 | 4 | 2 | 3 | 5 | 34 |
| Letti. | 4 | 1 | 0 | 1 | 2 | 1 | 1 | 1 | 2 | 2 | 0 | 15 |
| Mares. | 3 | 1 | 0 | 1 | 1 | 1 | 1 | 1 | 1 | 2 | 0 | 12 |
| Feminae. | 1 | 0 | 0 | 0 | 1 | 0 | 0 | 0 | 1 | 0 | 0 | 3 |
| Poloni. | 3 | 1 | 0 | 1 | 0 | 1 | 2 | 1 | 0 | 6 | 8 | 23 |
| Fenni. | 2 | 0 | 0 | 1 | 0 | 0 | 0 | 0 | 0 | 0 | 0 | 3 |
| Sueci. | 1 | 0 | 2 | 0 | 1 | 0 | 0 | 0 | 0 | 0 | 0 | 4 |
| Hebraei. | 0 | 0 | 1 | 0 | 0 | 1 | 0 | 1 | 0 | 1 | 1 | 5 |

*) De sexu unius hominis quaeritur.
 **) De sexu unius hominis quaeritur.

Origo trium hominum notata non est.

Si centenos pro singulis esse statuimus, nationes diversae secundum ea, quae in tabula composuimus, hac inter se ratione habentur:

$$4,12 : 3,36 : 1,25 : 0,15 : 0,23 : 0,03 : 0,04 : 0,05.$$

Teste Faehlmanno ¹⁾ numerus incolarum hujus urbis

1) Dr. Fried. Rob. Faehlmann. Die Rubrepidemie in Dorpat im Herbste 1846. Seite 79. Dorpat 1848.

perquam mixtus est. Ex incolarum circiter quatuordecim millibus ferme 8000 Germani, 4400 Esthoni, 1200 Russi, 200 Letti inveniuntur; reliqui ducenti Poloni aliique sunt. Proinde Esthoni, Germani, Russi, Letti ita se habent, ut

$$44 : 80 : 12 : 2 \text{ vel}$$

$$11 : 20 : 3 : 0,5.$$

Si numeros proportionales, quibus syphilitici diversarum nationum in instituto nostro auxilium petierunt, cum numeris proportionalibus comparemus, quos nationes diversae ut incolae urbis praebent, satis nobis liquet, proportiones inde profectas parum inter se congruere. Vidimus enim ex Esthonorum numero plurimos aegrotos in institutum clinicum venisse, quamquam credideris, id potius de Germanis dici potuisse, quum major infectorum pars oppidani essent. Sed ne obliviscaris, plurimos ex Germanis haud dubie inter locupletiores habendos esse, atque igitur facilius privato sumptu et sub conditionibus idoneis curari posse; unde coacti non sint vitam turpem ac libidinosam in conspectum dare, immo eam pro medici fide ac taciturnitate occultare queant. Hinc quidem vix quisquam adducitur, ut Germanorum mores tanto meliores esse concludat, quanto eorum numerus, qui notatus est, Esthonorum numero inferior sit. Major numerus Esthonorum in urbe degentium eo etiam augetur, quod, ut jam diximus, plurimi accedunt rusticorum, qui omnes fere gentis sunt Esthonicae. Praeterea in denotandis Esthonis oppidanos a rusticis non distinximus, unde fieri non potest, ut certius aliquid de origine unius alteriusve nationis colligatur.

Si quis, qualis sit sexus ratio inter Esthonos et Germanos Russosque, intentius quaesiverit, certe reperiet, quamvis in universum mares numero praevaleant, apud Esthonos tamen rationem contrariam esse. Numerus enim feminarum ad mares inter Esthonos ita se habet, ut 1 : 0,86 . . . , inter Germanos ut 1 : 10, 16 . . . , inter Russos ut 1 : 2,27 . . . Si

porro numerum feminarum Esthonarum cum numero marium Germanorum comparemus, proportionem inter utrosque nobis oblatam videmus = 1 : 1,37..., quamquam feminarum ad mares proportio universalis = 1 : 2,2 apparuit. Itaque numerus marium Germanorum haud multo major est quam feminarum Esthonarum. Quae res eo efficitur, quod plurima pars earum, quae Venerem vulgivagam sequuntur, ex mulieribus constat Esthonicis, quippe quae cum maribus Germanis primum coitum exercent, atque longiore consuetudinis progressu ab his non raro inficiantur: quo fit, ut fontem largissimum veneni syphilitici in rura et urbem diffundant, quum vitam suam flagitiosam ab adpectu publico, et ideo morbum etiam a curatione medica quam cautissime removeant.

Caput VI.

Tempus receptionis.

Institutum clinicum inde a die vicesimo mensis Ianuarii usque ad diem nonum mensis Junii, atque a die 22 mensis Sextilis usque ad diem 19 mensis Decembris tum aegrotis tum medicinae cultoribus patet. Temporibus, quae interjacent, studiorum otia aguntur. Diversis, qui deinceps afferuntur, mensibus progressu undecim annorum auxilium instituti nostri petierunt:

| | | |
|-----------|-----|-------------|
| Januario | 105 | syphilitici |
| Februario | 110 | „ |
| Martio | 77 | „ |
| Aprili | 53 | „ |
| Majo | 71 | „ |
| Junio | 12 | „ |

| | | |
|-----------|-----|-------------|
| Quinctili | 21 | syphilitici |
| Sextili | 125 | „ |
| Septembri | 74 | „ |
| Octobri | 119 | „ |
| Novembri | 104 | „ |
| Decembri | 55 | „ |

Ineunte quoque spatio semestri numerus aegrotorum accrescit, quippe qui feriarum tempore plurimi colligantur. Sed mirandum est, postremis decem diebus mensis Januarii, ergo tertia mensis parte, paene totidem aegrotos curationem clinicam petere, quot aegroti mense Sextili, eodem primo at integro alterius semestris, aggrediantur. Cujus rei causa haud dubie petenda est ex mercatu Germanico, qui in urbe nostra per tres hebdomades mense Januario habetur; quo tempore magna hominum multitudo ex regionibus diversissimis huc confluit. Hac data occasione non solum quaelibet invehuntur merces et ad luxum pertinentes et ad victum cultumque necessariae, sed virus etiam subrepat syphiliticum, et quidem largissimum, quod tum celerrime diffunditur. Hinc numerus aegrotorum, quos mense Februario aequè plurimos reperimus, sane etiam explicari potest. Neque minus praeterea mensibus Octobri et Novembri numerum syphiliticorum denuo vehementer augeri videmus, cujus rei causa in convictu hominum frequentiore quaerenda videtur. Qui quum hac tempestate asperiore extra urbem sub divo minus oblectationis percipere possint, tanto crebrius Baccho in deversoriis cauponisque, Veneri in meretricum latebris indulgent. Sed hoc anni tempus semper temperaturam inferiorem, haec vero statum pejorem formarum morbi syphiliticarum, unde aegroti infecti maturius ac frequentius ad petendum auxilium commoventur, atque igitur majorem in instituto clinico syphiliticorum frequentiam efficit.

Pars altera.

Quaedam explicationes.

Respectis in parte priore momentis de syphilide universalibus, jam ad varias morbi formas earumque curationem, quales in instituto clinico nobis oblatae sunt, progredi possumus. Quae morbi formae aut in duas vel tres series graves distribuuntur atque ideo nomine syphilidis primariae vel secundariae significantur, aut duabus illis tertia etiam adjungitur series, quae formas syphilidis tertiariae amplectitur. Haec in tres series divisio imprimis a Ricord ¹⁾ defenditur, qui, ubi exortae sint morbi formae, certum semper ordinem servari voluit, atque idcirco ex exanthematibus cutaneis et ossium affectionibus syphiliticis, quae postremo saepe accedunt, seriem propriam constituit, ad quam formae syphilidis tertiariae referuntur. Idem ille, priusquam cutis exanthemata et ossium affectiones oriantur, symptomata semper secundaria antecessisse statuit ²⁾: id quod neque alii auctores, uti Canstatt, Chelius alii, quorum auctoritas in judicanda hac re neutiquam rejici potest, neque nosmet ipsi in instituto clinico semper observavimus. Compluries enim accidit, ut ulcera primaria eruptiones cutaneae ossiumque affectiones velut formae proximae sequerentur, nullis neque condylomatibus neque pharyngis ulceribus secundariis antegressis. Canstatt ³⁾ de hac re his utitur verbis: „Meist treten die syphilitischen Knochenaffectionen erst nach den secundären

1) Ph. Ricord. Practische Abhandlung über die venerischen Krankheiten etc. Aus dem Französischen übersetzt von Dr. Hermann Müller. Pag. 80. Leipzig 1838.

2) l. c. pag. 628.

3) Canstatt. Specielle Pathologie und Therapie. II. Bd. 2 Abth. Pag. 925. § 2048. 1847.

Haut- und Schleimhautleiden auf, und Ricord hat sie aus diesem Grunde zum vorzüglichsten Repräsentanten seiner Gruppe, der sogenannten tertiären Symptome, aufgestellt. Indessen sind der Ausnahmen von dieser Aufeinanderfolge zu viele, als dass sie zum Gesetze erhoben werden könnte. Zuweilen treten die Knochenaffectionen ohne vorhergegangene andere consecutive Leiden bald nach primärem Schanker auf, Knochenschmerzen bilden oft die Vorläufer der Hautausschläge oder Schleimhautaffectionen.“

Itaque, quum syphilidis divisio, quam Ricord proposuit, nullo nitatur argumento certiore, quoniam neque observationibus neque rerum usu illam probatum videmus, neque ex cognitione subtiliore syphilidis processuum ad probandam illam adducimur, methodum potius eligimus simpliciolem saepiusque adhibitam, secundum quam syphilidis formae aut alterationes nutritionis localis — *syphilidem primariam* — aut perturbationes nutritionis universalis — *syphilidem secundariam* — esse statuimus.

Ricord ipse in scriptis suis recentioribus a sententia sua priore aliquatenus jam discessit, quippe qui exanthemata cutis tuberculosa, si, nullis intercedentibus formis secundariis, syphilidem primariam proxime sequuntur, nomine syphilidis tertiariae praecocis nuncupaverit.

Antequam ad explicandas singulas syphilidis formas progrediar, quarum de natura et indole in universum vix jam ulla inter medicos dissensio est, non possum, quin gonorrhoeae virulentae sive catarrhi syphilitici speciatim mentionem faciam eamque accuratius respiciam, quoniam auctores inter se discrepant, utrum gonorrhoea virulenta ad formas syphiliticas referenda sit nec ne, quum equidem, uti in parte priore dictum jam est, in eorum numero haberi velim, qui illam non esse formam syphilidis existiment.

Wallace¹⁾, Canstatt²⁾, Chelius³⁾, Simon⁴⁾, A. Vidal (de Cassis)⁵⁾, alii contendunt, catarrhum syphiliticum vel gonorrhoeam virulentam effectam vel potius productam esse eodem veneno, quo etiam ulcera syphilitica gignantur; etsi enim minor sit veneni copia, eandem tamen ejus indolem esse. Duae igitur morbi formae ejusdem erant originis. Hi auctores in proponenda sua sententia tum formis nituntur syphiliticis secundariis, quae gonorrhoeam virulentam (sed ut Simon ait „selten und ausnahmsweise“) sequantur, tum eo, quod gonorrhoea et ulcus syphiliticum in siagulis hominibus eodem tempore oriuntur; quos morbos illi non semper una simul, sed singulatim etiam, et quidem ulcus syphiliticum aliquanto post gonorrhoeam apparere dicunt. Quamvis vero multa proferantur argumenta ad testandam naturam syphiliticam quarumdam gonorrhoearum, profecto tamen illud erit firmissimum, quo quis formas syphilidis secundarias certissime ex iis oriri demonstraverit.

Syphilis secundaria ipsis iis testibus, qui gonorrhoeam virulentam defendunt „höchst selten und ausnahmsweise“ occurrit, neque tamen his ipsis casibus ulcus syphiliticum in urethra semper defuisse demonstratum est, neque demonstrari potuit. Quum igitur gonorrhoeam adeo frequenter obviam videamus, qui fit tandem, ut syphilis secundaria non saepius illam sequatur?

In omnibus fere casibus, ubi gonorrhoeam unicam prae-

1) William Wallace. Darstellung des Verlaufs und der Behandlung der primären und der constitutionellen venerischen Krankheiten etc. Deutsch bearbeitet, unter Redaction des Dr. F. J. Behrend. Seite 50. 1842.

2) l. c. pag. 827. § 1797.

3) Handbuch der Chirurgie, Bd. I. Seite 169. 7te Aufl. 1851.

4) Dr. Frd. A. Simon. Ricord's Lehre von der Syphilis etc. Thl. I. Seite 19—25. — 1851.

5) Traité des maladies vénériennes, page 6—11. 1853.

nunciam syphilidis secundariae fuisse tradunt, aegrotus ipse aut prudens et sciens medicum aliqua de causa decipiebat (quod quisque medicus in praxi sua sane expertus fuerit), aut vero imprudens, quum fieri posset, ut ulcus syphiliticum nimis occultum ac reconditum minime conspiceretur; nam omnino difficile est ulcus syphiliticum cognoscere, nisi in ipso orificio urethrae vel in proxima ejus vicinitate haereat; si enim illud in fossam navicularem urethrae jam processit, neque tamen induruit, certe perdifficilis est ejus cognitio. Tum vero ne curationem, quae gonorrhoeis adhiberi solet, respiciendam obliviscamur. Aegroto diaeta minus irritans, largaeque potiones commendantur, praeterea non raro injectiones causticae vel adstringentes. Frequentiore potionum usu fit, ut urina salibus multum decrescat, atque propterea in ulcus, quod forsitan adsit, vim minus irritantem exerceat. Fluida injecta caustica ulceris indolem facile maturius immutant, nam eandem simpliciore reddunt, atque igitur efficiunt, ut ulcus brevi tempore cicatricetur; unde vero ulceris sanatio nequaquam perficitur. Ita nonnumquam ne ullo quidem modo suspicamur, ulcus syphiliticum in urethra adesse; quo casu nonnulli ex gonorrhoea prorsus simplici syphilidem secundariam ortam esse vident. Adhibita methodo abortiva multo etiam facilius et certius effici potest, ut ulceris indoles immutetur atque ulcus cicatricetur. Ita medicatio illa, quae gonorrhoeae adhibetur, eadem simul adversus ulcus syphiliticum efficax est; neque tamen hinc adduci possumus, ut ulcus syphiliticum, sicut Ricord¹⁾ testatur, sponte consanescere statusamus, id quod nunquam certe accidit. Ubi gonorrhoea et ulcus syphiliticum simul adsunt, ibi gonorrhoeae indoles syphilitica minime vindicari potest, quae non pendet nisi ex praesente ulcere syphilitico.

1) l. c. pag. 275.

Sunt, qui ad defendendam gonnorrhoeam syphiliticam statuunt, fieri non posse, ut duo morbi diversae indolis in organismo evolvantur. Canstatt ¹⁾ hanc profert sententiam: „Eine andere Thatsache ist, dass oft Tripper und Schanker zugleich an demselben Individuum vorkommen; wenn die Gifte different wären, so wäre ein gleichzeitiges ungestörtes Nebeneinanderbestehen ihrer Wirkungen nicht wohl wahrscheinlich.“ Jam vero saepius videmus, aegrotos ex syphilitide pharyngeali laborantes parum diligenter valetudini consulere, immo tempestatibus humidis asperis aliisque momentis noxiis, quae plerumque catarrhum provocent, temere se objicere, unde catarrhum satis iniquum ad syphilidem sibi adjungant. Quibus enim malis cavum oris nasique afficitur, iisdem membrana mucosa urethrae et vaginae affici potest. Hæc morbos heterogeneos eodem tempore existere, minime non verisimile, sed adeo ipsis rebus cognitum est.

Si fingeremus, gonnorrhoeam virulentam et ulcus syphiliticum non esse morbos diversae indolis, sed modo eandem causam proximam, sc. virus syphiliticum, sibi habere, unde gignantur, atque accedentibus momentis prosperis syphilidem excitare, mirandum tamen esset, cur formae quidem primariae in lue venerea omnes iterum ac saepius redeant, gonnorrhoea autem in syphilitide constitutionali non sine novo veneno mucii vel puris gonnorrhoealis exoriatur. Si esset catarrhus syphiliticus, idem profecto in syphilitide constitutionali, quum non antecessisset sub forma primaria, *sponte* sub forma secundaria existere deberet, id quod in omnibus formis primariis videmus.

Ricord certis verbis dicit, ubicunque secretum gonnorrhoeae ex inoculatione ulcus syphiliticum provocaverit, ibi semper juxta secretum illud simul ulcus syphiliticum consti-

1) l. c. pag. 827. § 1796.

tisse. Eandem sententiam Drr. Suchanek ¹⁾ et Henoch ²⁾ sequuntur. Cum his viris consentiens, equidem etiam non possum aliter, quam ut profitear, gonnorrhoeam et ulcus syphiliticum indolis omnino diversae esse, gonnorrhoeamque virulentam, quae formas syphilidis secundariae provocare possit, non esse nisi gonnorrhoeae cum ulcere syphilitico complicationem, quod ulcus non semper necesse sit in urethra sedem habeat.

Detur venia hujusce introductionis, quam adicere cogor, ut de ea re defender, cur non gonnorrhoeam conspectu de syphilitide proposito receperim.

In compositionibus, quae sequuntur, a describendis morbi formis, quae in instituto clinico ambulatorio et policlinico sunt observatae, disjuncto ab his clinico stationario, initium facturum sum.

I. Syphilidis formae in instituto clinico ambulatorio et policlinico observatae.

Quum non semper in notandis aegrotorum nominibus certius aliquid de morbi formis adjectum esset, sed modo fere ulcera syphilitica genitalium primaria, syphilis secundaria, vel etiam syphilis, syphilis inveterata etc. tradita extarent, non potui aliter, quam ut de partibus corporis speciatim affectis vel de morbi formis aliquatenus tantum exponerem; plerumque enim ratione prorsus universali res significare coactus sum. Modo illos casus syphilidis primariae et secundariae composuimus, qui hoc ipso nomine notati erant. Ex omnibus casibus, qui secundum eorum significa-

1) Bericht über die Syphilis. Prager Vierteljahrsschrift für die praktische Heilkunde. IX. Jahrg. 1852. I Bd. P. 29.

2) C. Canstatt's specielle Pathologie und Therapie etc. V. Supplementband. P. 233 und 234.

tionem neque in seriem priorem neque in alteram referri poterant, tertiam seriem propriam constituimus.

1. Syphilis primaria.

"Diversae formae syphilidis primariae in 185 maribus et 25 feminis observatae sunt; illarum frequentia major minorve haec fuit:

| Syphilidis formae. | Quanta fuerit formarum frequentia. | | Summa. |
|--|------------------------------------|----------|--------|
| | Mares. | Feminae. | |
| <i>Ulcera et excoarationes:</i> | | | |
| Genitalium. | 169 | 7 | 176 |
| Pharyngis, oris et linguae | 8 | 15 | 23 |
| Nasi. | — | 3 | 3 |
| Ani | 3 | 3 | 8 |
| Angina | 1 | — | 1 |
| Phimosi | 7 | — | 7 |
| Paraphimosi | 6 | — | 6 |
| Bubones | 24 | — | 24 |
| Balanitis | 4 | — | 4 |
| Urethroblennorrhoea | 7 | — | 7 |
| Leucorrhoea | — | 1 | 1 |
| Fissura arcus glossopalatini | — | 1 | 1 |
| Defectus septi narium | — | 1 | 1 |

2. Syphilidis formae secundariae et formae incertae.

Syphilide 195 mares et 114 feminas affectos fuisse, certis verbis adnotatum erat; neque tamen, utrum in 116 maribus et 98 feminis syphilis primaria an secundaria fuisset, constabat. In utraque serie de sexu infantis nihil traditum

invenimus. Ut formarum singularum frequentiam meliorem in conspectu universali haberemus, duas has series inter se composuimus.

| Syphilidis formae. | Syphilis secund. | | Summa. | Formae incertae. | | Summa. |
|---------------------------------|------------------|------|--------|------------------|------|--------|
| | Mares | Fem. | | Mares | Fem. | |
| <i>Ulcera:</i> | | | | | | |
| Genitalium | 38 | 14 | 52 | 90 | 18 | 108 |
| Pharyngis et oris | 72 | 35 | 107 | 38 | 42 | 80 |
| Nasi | — | — | — | 1 | 2 | 3 |
| Ani | 5 | — | 5 | — | — | — |
| Aliorum corp. locorum | 16 | 14 | 30 | 3 | 2 | 5 |
| <i>Condylomata lata.</i> | | | | | | |
| Genitalium | 12 | 6 | 18 | 15 | 17 | 32 |
| Ani | 10 | 2 | 12 | 17 | 4 | 21 |
| Pharyngis et oris | 6 | 5 | 11 | 4 | 5 | 9 |
| Aliorum corp. locorum | 11 | 14 | 25 | 9 | 7 | 16 |
| <i>Condylomata acuminata.</i> | | | | | | |
| Phimosi | 3 | — | 3 | 10 | — | 10 |
| Paraphimosi | 1 | — | 1 | 6 | — | 6 |
| Bubones | 7 | — | 7 | 22 | 2 | 24 |
| Gonorrhoea | 3 | — | 3 | 10 | — | 10 |
| Fluor albus | — | — | — | — | 8 | 8 |
| Balaniti | 2 | — | 2 | 3 | — | 3 |
| Orchiti | 3 | — | 3 | 1 | — | 1 |
| Epididymiti | — | — | — | 1 | — | 1 |
| Hydrocele | 2 | — | 2 | 1 | — | 1 |
| Angina tonsillaris | 3 | — | 3 | 8 | — | 8 |
| Pharyngiti | 2 | — | 2 | 1 | — | 1 |
| Conjunctiviti | 1 | — | 1 | — | — | — |
| Blepharoadeniti | 1 | — | 1 | — | — | — |
| Ophthalmia neonatorum | 1 | — | 1 | — | — | — |
| Blepharoblennorrhoea | — | — | — | 1 | 2 | 3 |
| Anchylopi internus | — | 1 | 1 | — | — | — |
| Dacryops | — | — | — | — | 1 | 1 |
| <i>Exanthemata cutis.</i> | | | | | | |
| Maculae | — | 3 | 3 | — | — | — |
| Papulae | 9 | 7 | 16 | — | — | — |
| Pustulae | 10 | 9 | 19 | — | — | — |
| Squamae | 2 | — | 2 | — | — | — |
| Tubercula | 2 | 3 | 5 | — | — | — |
| Mentagra | 2 | — | 2 | — | — | — |

| Syphilidis formae. | Syphilis secund. | | Summa. | Formae incertae. | | Summa. |
|--|------------------|------|--------|------------------|------|--------|
| | Mares | Fem. | | Mares | Fem. | |
| Lupus nasi et maxillae superioris | | 2 | 2 | | | |
| Impetigo | 6 | — | 6 | | | |
| Impetigo ulcerosa | — | 2 | 2 | | | |
| Lichen | 2 | — | 2 | | | |
| Roseola fusca | 1 | — | 1 | | | |
| Rhyphia | — | 1 | 1 | | | |
| Porrigo capitis | — | 1 | 1 | | | |
| Eczema labiorum oris | — | 1 | 1 | | | |
| Rhagades | 8 | — | 8 | | | |
| Exanthemata cutis in universum notata | 16 | 4 | 20 | | | |
| <i>Affectiones ossium:</i> | | | | | | |
| Tumores capitis | — | — | — | 1 | | 1 |
| Gummata | — | 1 | 1 | | | |
| Topli | 1 | — | 1 | | | |
| Periostitis | 7 | 4 | 11 | | | |
| Exostoses | 3 | 2 | 5 | | | |
| Necrosis maxillae inferioris | — | — | — | 1 | | 1 |
| Abscessus colli et humeri | 1 | — | 1 | | | |
| Abscessus nasi | — | — | — | | 1 | 1 |
| Uvula cum arcu glossopal. coaluit | — | 2 | 2 | | | |
| Fissurae et foramina pharyng., palati, veli palatini | 6 | 4 | 10 | 1 | 4 | 5 |
| Cicatrices induratae | 6 | — | 6 | | | |
| Cophosis ex syphilide orta | 1 | — | 1 | | | |
| Suspicio syphilidis | — | — | — | 5 | 3 | 8 |
| Hymen integer | — | 1 | 1 | | | |
| Graviditas | — | 1 | 1 | | 3 | 3 |
| Mortuus est phtisi | 1 | — | 1 | | | |
| Formae non accurate significatae | 32 | 21 | 53 | 25 | 13 | 38 |

Adnotationes.

Morbi formae, sicut ex earum inter se compositione liquet, ea, qua opus est, perspicuitate et integritate prorsus carent; itaque ipsi de formarum frequentia majore vel mi-

nore tantum in universum pauca dicere, minime vero certius aliquid inde concludere possumus.

Ulcerata. In perquirenda marium syphilide primaria frequentissime ulcus syphiliticum genitalium apud 92,2 pCt., bubones apud 13,9 pCt. aegrotorum, phimosis autem et paraphimosin (plerumque cum ulcere syphilitico praeputii et glandis penis) modo apud 3—4 pCt. invenimus. Rarissime balanitidem et ulcera ani observavimus, quae ulcera semper fere ex condylomatibus exulceratis exorta erant.

In feminis ulcera oris et pharyngis imprimis, obvia vidimus sc. apud 60 pCt., in maribus tantum apud 4,3 pCt.; ulcera autem syphilitica genitalium modo apud 28 pCt. mulierum syphiliticarum occurrere solebant. Satis frequenter etiam ulcera nasi et ani, sc. apud 12 pCt. aegrotarum reperiiebantur, bubones autem omnino deerant.

In syphilide etiam constitutionali ulcera numero maxime praeponderant; praecipue vero ulcera membranae mucosae oris ejusque partium propin quarum, ac quidem apud homines utriusque sexus oriuntur. Verumtamen et his ulceribus feminae frequentius afficiuntur quam mares; hinc proportio inter ulcera genitalium et pharyngis orisque paene omnino sibi constat, pariter atque in syphilide primaria feminarum fuit, nam ulcera genitalium apud 15 pCt., ulcera pharyngis et cavitatis oris apud 37,6 pCt. apparebant. Ex marium numero 23,3 pCt. ulceribus syphiliticis genitalium, 44,1 pCt. ulceribus syphiliticis membranae mucosae oris et pharyngis laborabant: quae proportio cum numero proportionali formarum primariarum, illis respondentium, haud bene comparari potest.

Longe saepius ozaenae, destructis simul nasi partibus mollibus durisque, apud feminas reperiuntur, sc. apud 4,3 pCt.; ex marium autem numero apud 0,6 pCt. illas oriri

videmus. Idem dicendum est de ulceribus aliarum corporis partium, uti antibrachii, femoris, mammae etc.

Contra ea affectiones inflammatoriae pharyngis fauciumque apud mares numero praeponderant, ac quidem ratione legibus universalibus prorsus analoga.

Condylomata lata. Haec condylomata saepius in exulcerationes abibant, tum in genitalibus, tum in aliis corporis partibus, uti in tonsillis, labiis oris etc.; ideoque pars ulcerum ex condylomatibus exorta iudicanda est.

In syphilide primaria condylomata lata non objiciebantur, satis vero frequenter in syphilide secundaria, ac praesertim in genitalibus marium apud 7,3 pCt., in ano apud 6,4 pCt.; in feminarum vero genitalibus apud 6,4 pCt., in ano tantum apud 2,1 pCt. Inversa proportione condylomata lata in cavo oris et pharyngis, nec non in aliis corporis partibus, uti sub mamma, in fovea axillari etc. apud homines utriusque sexus reperiebantur; nam in feminarum ore condylomata illa apud 5,8 pCt., in ore marium apud 3,6 pCt., in aliis corporis partibus apud 15 pCt. feminarum, apud 6,7 pCt. marium occurrebant; ergo frequentia condylomatum latorum apud mares dimidio minor quam apud feminas existit.

Condylomata acuminata omnino bis tantum oriebantur.

Exanthemata. Hae syphilidis formae omnes observatae sunt, praecipue apud mares. Papulae, pustulae, tubercula frequentius apud feminas, lupus tantummodo apud eas obviaerant.

Affectiones ossium in hominibus utriusque sexus pari frequentia apparebant.

Memoratu etiam dignum est, rhagades, quae praecipue inter pedum digitos orientur, tantummodo apud mares obvias fuisse.

De morbi formis, quae neque syphilidis primariae neque secundariae nomine sunt significatae, si earum frequen-

tiam majorem minoremve respicias, in universum idem dicere licet atque de formis iis, quae ad syphilidem secundariam stricte referuntur.

Curatio.

Omnes aegroti, qui in instituto clinico nostro adversus mala sua auxilium petunt, antea in clinico ambulatorio nomina edere jubentur; ibi professor, cui munus datum est administrandi clinici chirurgici, iudicio suo decernit, num et quonam in clinico — ambulatorio an stationario an policlinico — opem necessariam illi accepturi sint. Itaque in instituto clinico ambulatorio, ubi magna plerumque aegrotorum multitudo confluit, via idonea fieri potest, ut ii morborum casus, quos plurimum interest accuratius cognoscere, in usum clinici stationarii eligantur. Simulque medicis tironibus occasio datur exercendae artis diagnosticae, quoniam, si animo fluctuant et haesitant, professor iis statim adsistit eosque consilio adjuvat, ut difficultates objectas celerius faciliusque egrediantur, et quoniam iis morbi maxime varii eorumque formae in conspectum proferuntur. Curatio, quae in instituto clinico ambulatorio aegrotis syphiliticis adhibetur, nihil prope utilitatis praebet, quum raro eventum ullum exhibeat; nam aegroti medicamentis praescriptis aut male aut nihil utuntur, aut vero, ubi per totas hebdomades totosque menses (curatio enim quibusdam de causis, quas quis facile conjactaverit, diu continuantur) tractati sunt, tandemque valetudinem aliquanto in melius inclinatam sentiunt, omnino non revertuntur, quoniam, ut fit fere, molestias gravissimas, quas morbus iis moverat, decedere vident atque tum statim se sanatos existimant: quod vero plerisque in casibus ita non esse dolemus. Ita ratio haec ambulatoria utrisque, et ipsis curantibus et iis, qui curationi subjiciuntur, non eam offert utilitatem, quae jure requirenda est. Quam ob rem, ut equidem opinor,

magis idoneum esset, si aegroti syphilitici in instituto clinico ambulatorio nulli curarentur.

Curatio, qualis in instituto policlinico adhibetur, non prosperiores quidem exhibet eventus, verumtamen eodem instituto aegroti ordinum superiorum recipiuntur, qui multo potius, ut ab iis expectandum est, medici praescriptis obediunt. Sed etiam in instituto policlinico haud raro accidit, ut aegroti quidam, quum negligentes ac parum obediennes se praeberent, media sub curatione suae ipsorum fortunae committerentur.

Ad comprobanda ea, quae supra dicta sunt, hosce numeros inter se compositos adjicimus.

Progressu undecim annorum in libris indicibus instituti clinici ambulatorii nomina 636 syphiliticorum notata sunt, ex quibus vero tantummodo 526 curae subiciebantur. Ex reliquis 110 aegrotis inde a die vicesimo m. Januarii a. 1843 usque ad diem quintum decimum m. Novembris a. 1848 post statutam diagnosin sine curatione 52 syphilitici, in his 25 mares et 27 feminae, repulsi sunt.

Die quinto decimo m. Novembris a. 1848 a directorio Universitatis Caesareae Dorpatensis literae de syphilide maxime memorandae ad praesides instituti clinici delatae sunt, quarum haec summa erat:

„In Folge Schreibens des Herrn Curators des Dorpat-schen Lehrbezirks vom 12. d. M. sub No. 1755 an das Universitäts-Directorium wird unter Anschluss einer beglaubigten Copie des von der Livländischen Gouvernements-Regierung an Se. Excellenz gelangten Schreibens d. d. 8. d. M. No. 10007 die Direction des Universitäts-Klinikums hierdurch ersucht, die mit Syphilis behafteten Leute, welche sich im Klinikum der hiesigen Universität melden, jedes Mal der Dörptschen Polizei zuzuschicken, wenn die Klinik selbst nicht im Stande sein sollte sie aufzunehmen.“

Quum vero non omnes aegroti syphilitici, qui in insti-

tuto clinico auxilium petebant, gentis urbanae essent, sed multi etiam, pagis rusticis adscripti, recta via in urbem venirent, ideoque imperiis ad administrandas res rusticas institutis parerent, hi quidem magistratibus, qui ordinandis rebus rusticis praesunt, necesse fuit mitterentur.

Quotiescunque igitur praesides instituti clinici aegrotos syphiliticos in curam amplius recipere volebant, legibus praescriptis obtemperabant. Ita inde a die quinto decimo m. Novembris a. 1848 quadraginta quatuor homines syphilitici, in his 23 mares et 21 feminae, postquam a professore, qui instituto clinico chirurgico praeerat, testimonium scriptum acceperant, magistratibus publicis, quibus addicti erant, sub custodia missi sunt: quorum vero est, ejusmodi homines non confestim domos remittere, sed id potius prospicere, ut curationi antisymphiliticae in nosocomio publico hujus urbis subjiciantur, ne, ipsorum arbitrio permisi, ad propagandum venenum syphiliticum conferre possint.

Dubium non est, quin hac instituta agendi ratione sperari possit fore, ut numerus aegrotorum syphiliticorum paulatim minuatur.

Quatuordecim hominibus, 4 maribus et 10 feminis, post statutam diagnosis datum est testimonium, unde liqueret, syphilide illos affectos esse, quoniam praefecti praediorum rusticorum, quorum imperio aegroti parebant, de eorum morbo se certiores fieri rogaverant.

In instituto policlinico 141 syphiliticis curatio adhibita est. Quibus si ii adnumerantur, qui in instituto clinico ambulatorio tractati sunt, numerus inde efficitur 667 syphiliticorum (438 marium et 237 feminarum) duorumque infantium, quorum sexus indicatus non est. Ex hoc numero septendecim mares et duae feminae, quum medici praescriptis non obedirent, inter curationem repulsi sunt; femina una in institutum obstetricium traducta est, quum ejus graviditas ad

finem accederet; 332 mares et 167 feminae inter ipsam curationem, valetudine magis minusve in melius inclinata, non redierunt; modo 47 mares et 9 feminae sanati sunt. Ex his 57 aegrotis syphiliticis in instituto policlinico duae partes vel 27,5 pCt., in clinico ambulatorio tertia pars vel 3,3 pCt. valetudinem restitutam viderunt.

His rebus me satis demonstrasse arbitror, syphilidis curationem, qualis in clinico ambulatorio fiat, omni prorsus eventu carere. Omissis iis, quae supra dicta sunt, equidem contenderim, curationem syphilidis, tum si aegrotorum salutem spectes, tum si certius aliquid de curandi methodo concludere velis, semper tamen, quantumvis aegroti obedientissimi sint, adhibita ratione ambulatoria omnino inutilem esse. Si enim praecepta respiciamus, quas quis in curanda syphilide sequatur, omnia certa remedia omnesque methodi, quascunque statuamus, etsi plurimas illas utilitatis practicae et eventu prosperrimo esse constat, illi tamen curandi methodo, qualis in clinico ambulatorio exerceri potest, quam maxime repugnant. Hac de re uberius exponere, a proposito nostro alienum est.

II. Syphilidis formae in instituto clinico stationario observatae et curatio earum.

Recepti sunt hoc instituto clinico 98 mares et 51 feminae. De 40 maribus et 18 feminis morbi descriptiones omnino desiderantur: unde de iisdem nisi quasdam syphilidis formas in nonnullis obvias nihil certius afferre possumus.

1. Syphilis primaria.

Omnino recepti sunt 41 mares et 16 feminae. Sequuntur notitiae accuratiores de 25 maribus et 14 feminis.

Frequentia formarum syphilidis primariae.

| Syphilidis formae. | Mares. | Feminae. | Summa. | Syphilidis formae. | Mares. | Feminae. | Summa. |
|---------------------------|--------|----------|--------|----------------------------|--------|----------|--------|
| <i>Ulcera:</i> | | | | <i>Condylomata acumin.</i> | | | |
| <i>Genitalium:</i> | | | | <i>Genitalium:</i> | | | |
| Glandis | 15 | — | 15 | Labiorem major.. | | 2 | 2 |
| Praeputii | 11 | — | 11 | Labiorem minor.. | | 2 | 2 |
| Penis | 8 | — | 8 | Regionis inguinum . | | 1 | 1 |
| Labiorem major.. | — | 4 | 4 | Femoris | | 1 | 1 |
| Labiorem minor.. | — | 2 | 2 | Verucae syphil. in | | | |
| Vaginae | — | 1 | 1 | tota superficie pe- | | | |
| Oris et pharyngis: | | | | rinaei | | 1 | 1 |
| Anguli oris | 1 | — | 1 | Phimosis | 5 | | 5 |
| Uvulae | 2 | 2 | 4 | Paraphimosis | 2 | | 2 |
| Faucium | 1 | 1 | 2 | Bubones | 6 | 1 | 7 |
| Tonsillarum | 3 | 1 | 4 | Balanitis | 1 | | 1 |
| Pharyngis | — | 1 | 1 | Urethroblennorrhoea | | | |
| Ozaena | — | 2 | 2 | chron. | 1 | | 1 |
| <i>Condylomata lata.</i> | | | | <i>Blennorrhoea:</i> | | | |
| <i>Genitalium:</i> | | | | Vaginae | | 8 | 8 |
| Penis | 2 | — | 2 | Uteri | | 1 | 1 |
| Scroti | 2 | — | 2 | Labiorem pudend. | | 2 | 2 |
| Labiorem major.. | — | 9 | 9 | Intumescencia glandu- | | | |
| Labiorem minor.. | — | 3 | 3 | larum lymph. | | | |
| Perinaei | 1 | 7 | 8 | colli et nuchae. | 1 | 1 | 2 |
| Ani | 3 | 4 | 7 | Rhagades pedum | 4 | | 4 |
| Oris: | | | | Uvula cum arcu | | | |
| Anguli et labiorem | 1 | 1 | 2 | glossopalatino coa- | | | |
| Tonsillarum | 2 | — | 2 | luit | | 2 | 2 |
| Foveae axillaris | — | 2 | 2 | Hiatus palati mollis . | | 1 | 1 |
| Mammarum | — | 2 | 2 | | | | |
| Regionis inguinum | — | 2 | 2 | | | | |
| Femoris | — | 1 | 1 | | | | |

Formae syphilidis ulcerosae, exceptis ozaenis, praecipue in maribus, condylomatosae in feminis conspiciebantur. In maribus solis ulcera indolem phagedaenicam et gangraenosam induere, in feminis vero semper ratione simplici decurrere vidimus. Phagedaenae in universum obviae erant, sc. bis in

glande penis, ac bis in praeputio, quod uno in casu maxima ex parte destruebatur.

Sphacelus praeputii et gangraena glandis semel observata sunt; praeputium et pars cutis penis necesse erat usque ad medium penem abscederentur; glans ultro detrudebatur, quum in gangraenam ratione tantum expectativa agi posset. Uno in ozaena casu genitalia ullis cicatricibus et ullo affectionis syphiliticae vestigio carebant; unde contagium primum alia via atque coitu illatum esse utique statui poterat.

Cum condylomatibus feminarum saepe fluor albus conjunctus erat, quem aegroti compluries ante exorta condylomata apparuisse dicebant. Condylomata, quae apud feminas in mamma atque in fovea axillari, nullis simul praesentibus aliis syphilidis symptomatibus, objiciebantur, ad syphilidem primariam referenda erant, eoque magis, quod simul eadem condylomata in genitalibus exstabant, unde eorum secretum per immunditiam facile ad mammam foveamque axillarem transferri poterat. Modo duobus in casibus syphilis primaria apud feminas, nullis adjunctis condylomatibus, observata est.

Curatio.

Non semper iis remediis agi potuit, quibus quis in casu idoneo libenter usus fuisset, quoniam jam saepe curationes vitiosae mancaeque erant susceptae, atque corporis constitutio aegrotorum omni tempore respicienda erat.

In universum aegroti firma erant corporis constitutione, unde prognosis prospera statui poterat.

In curatione universali haec medicamenta adhibita sunt, et hac quidem frequentia:

| Medicamenta adhibita. | Mares. | Feminae. | Summa. |
|-------------------------------|--------|----------|--------|
| Mercurius solubil. Hahnemanni | 1 | | 1 |
| Hydrargyrum muriat. mite . | 5 | | 5 |
| Hydrarg. muriat. corrosivum . | 3 | 6 | 9 |
| Hydrarg. præcipit. rubrum . | 1 | | 1 |
| Hydrarg. oxydulat. nitricum . | 1 | | 1 |
| Hydrarg. aceticum | | 1 | 1 |
| Hydrarg. jodatatum flavum . . | 2 | 3 | 5 |
| Hydrarg. jodatatum rubrum . . | | 1 | 1 |
| Kali jodatatum | 3 | 3 | 6 |
| Aurum muriat. natronatum . . | | 1 | 1 |
| Zincum muriaticum | | 1 | 1 |
| Natron sulphuricum | 1 | 1 | 2 |
| Magnesia sulphurica | 2 | 2 | 4 |
| Decoctum spec. lignorum . . . | 1 | | 1 |
| Decoctum Pollini | 1 | | 1 |

Cum omnibus medicamentis eodem simul tempore potio theae diaphoreticae ex floribus chamomillae, carice arenaria etc. paratae, aut decoctum specierum lignorum vel ligni gnajaci et sassafras ad augendam cutis secretionem aegroti propinata sunt, semperque temperatura calidior servata est, quae res sub coelo nostro septentrionali perquam est necessaria.

Calomelanos modo casibus morbi recentissimis, nullo antegresso hydrargyri usu, prospero cum successu adhibitum est; hydrargyrum vero jodatatum flavum in his tantum casibus praescribi potuit, ubi syphilis et scrophulosis conjunctim aderant; qua complicatione curatio diutissime continuabatur, praesertim in muliere aliqua, ubi perbrevis accedebant hydrargyrosis, erysipelas traumaticum vagans nosocomiale (transfixa auricula provocatum), quod per totum corpus diffundebatur, deinde abscessus in omnibus parte corporis partibus, quorum nonnulli tardissime sanescebant.

Deuterioduretum hydrargyri semel optimo cum eventu in curandis ulceribus faucium et pharyngis, aurum muriaticum

natronatum in ozaena mulieris usurpata sunt, quae duodecim diebus consanuit.

Kali jodatum, magnesia sulphurica, decoctum spec. lignorum aegroto praebere poterant, si jam plus vel minus hydrargyri consumtum fuerat. In curando aliquo aegroto, priusquam in instituto clinico reciperetur, non minus 100 grana calomelanos adhibita erant, neque tamen secuta erat sanatio, immo ulcera glandis indolem phagedaenicam induerant. Quam ob rem aegroto illi nihil nisi decoctum spec. lignorum propinatum est, cujus usu curatio per 64 dies continuabatur.

Decoctum Pollini et deinde protojoduretum hydrargyri, ubi ulcera nasi syphilitica cum scrophulosi simul aderant, prospero cum successu adhibita sunt: quo autem casu curatio per 55 dies trahebatur.

Zincum muriaticum, quod commendaverat Hanke, atque hydrargyrum aceticum singulis vicibus tentata sunt; quum vero, continuato per tres hebdomades alterius remedii usu, valetudo aegroti minime in melius se verteret, alterum propter acerrimas ventriculi affectiones, quae accesserant, ab illo non toleraretur, utroque in casu hydrargyrum muriaticum corrosivum adhiberi coeptum est.

Salivatio octo in casibus orta est, septies apud mares, semel apud feminas, saepissime post usum calomelanos, et quidem non adhibito antea hydrargyro, post usum vero mercurii solubilis Hahnemanni, hydrargyri muriatici corrosivi, hydrargyri oxydul. nitrici propterea, quod aegroti jam prius, quam in instituto clinico auxilium acciperent, hydrargyri praeparata abunde et irregulariter consumserant.

Curatio localis ulcerum simplicissima fuit; plerisque in casibus modo servata est munditia quam maxima, tum ratione expectativa actum est.

In curanda praeputii gangraena necesse erat praepitium.

abscederet. Ulcera phagedaenica infuso florum chamomillae, vino aromatico, aqua tepida etc. fomentata sunt.

Phimoses pro indole sua tractatae sunt; si enim exsuda plastica inter praeputii laminae deposita erant, neque tamen eo adduci poterant, ut resorberentur, ad operationes, sc. ad scarificationem, incisionem etc. accedendum erat.

Bubones, nisi proclives erant ad suppurationem, adhibitibus inunctionibus unguenti hydrargyri cinerei atque compressione necesse fuit discuterentur, aut si erant proclives, cultro vel remedio caustico aperirentur. Semel tantum methodus Malpertiana et bono quidem cum successu adhibita est.

Adversus condylomata plurima tentata sunt remedia.

Creosotum, quod octo in casibus adhibitum est, sexies vim celerrimam habuit; minoris fuerunt efficacitatis tinctura thujae occidentalis, acidum nitricum fumans, solutio mercurii sublimati, solutio zinci muriatici, lapis infernalis, alia. Condylomata magna duobus in casibus abscisa sunt, deinde creosotum eventu satis prospero apparuit: quibus in casibus sanatio celerrime progrediebatur. Cur vero creosotum eventus prosperrimos praestiterit, hujus rei causa in frequentiore illius quam aliorum remediorum usu sita esse videtur, quippe quae omnia vim magis minusve causticam exerceant atque condylomatum secretionem deminuant.

In curando fluore albo injectiones adstringentes, uti decoctum corticis quercus, calcaria chlorata etc. prospere usurpatae sunt.

Vir quidam, quum per quinque hebdomades, et mulier, quum per dies quinque tractati essent, typho correpti sunt, quippe qui eo praesertim tempore saeviret, quo illi inficiebantur. Simulac vero typhus desiit, omnia etiam syphilidis vestigia decesserant, quamquam adversus dyscrasiam, dum typhus tenebat, nullo modo agi poterat.

Duo instituta sunt inoculationis pericula, quorum modo alterum in homine sexus virilis feliciter cessit.

Mulier quaedam octavo mense gravida, et altera per quatuor hebdomades puerpera, adhibitis secundum methodum Dzondianam mercurii sublimati pilulis, tractatae sunt, nec graviditate nec puerperio turbato.

Temporis spatium, quo curatio continuabatur, in quindecim maribus, qui per 579 dies tractati sunt, si singulos respicias, plus minusve 38,6.. dierum, in quatuordecim feminis, quibus per 629 dies cura adhibita est, si tempus ad singulas referas, plus minusve 44,9.. dierum fuit. Hinc intelligimus, in curandis ipsis periculosis ulcerum formis spatium temporis, quo mares, octo diebus brevius fuisse, quam quo feminae tractarentur. Fortasse miratus fuerit aliquis, quod feminarum tractatio diutius continuata sit; verumtamen necesse est respiciamus, in iisdem illis, exceptis duabus, condylomata semper simul adfuissé, quae certe ad formas syphilidis pertinacissimas referenda sunt.

2. Syphilis secundaria.

Instituto clinico recepti sunt, qui ex syphilide secundaria laborabant, omnino 92 homines, sc. 57 mares et 35 feminae, ex quibus modo 33 mares et 19 feminas respicere possumus, quoniam alii non sanati discesserant, de aliis vero certius vix quidquam traditum exstabat.

Frequentia formarum syphilidis secundariae.

| Syphilidis formae. | Mares. | Feminae. | Summa. | Syphilidis formae. | Mares. | Feminae. | Summa. |
|------------------------------|--------|----------|--------|-------------------------------|--------|----------|--------|
| <i>Ulcera :</i> | | | | <i>Uvula cum arcu glosso-</i> | | | |
| <i>Genitalium :</i> | | | | palat. coaluit. . | 1 | 1 | 2 |
| Glandis | 10 | — | 10 | Arcus phar. palat. cum | | | |
| Praeputii | 13 | — | 13 | pharynge coaluit. | 1 | — | 1 |
| Penis | 6 | — | 6 | <i>Phimosis :</i> | | | |
| Scroti | 3 | — | 3 | Congenita | 3 | — | 3 |
| Labiorum majorum | — | 6 | 6 | Inflammatoria . . . | 4 | — | 4 |
| Labiorum minorum | — | 3 | 3 | Indurata | 4 | — | 4 |
| Vaginae | — | 2 | 2 | Bubones | 7 | 2 | 9 |
| Labiorum uteri . . . | — | 1 | 1 | Urethroblennorrhoea. | 2 | — | 2 |
| Perinaei | — | 1 | 1 | Blennorrh. praeputii . | 1 | — | 1 |
| Ani | 1 | 1 | 2 | Blennorrhoea: Vaginae | — | 8 | 8 |
| <i>Oris et pharyng.</i> | | | | Uteri | — | 2 | 2 |
| Labiorum oris | 1 | 2 | 3 | <i>Condylomata lata.</i> | | | |
| Anguli oris | 1 | 2 | 3 | <i>Genitalium :</i> | | | |
| Gingivae | 1 | 1 | 2 | Colli glandis | 1 | — | 1 |
| Linguae | 1 | 1 | 2 | Penis | 3 | — | 3 |
| Veli palatini | 6 | 8 | 14 | Scroti | 3 | — | 3 |
| Palati duri | 3 | 7 | 10 | Labiorum major. . . . | — | 6 | 6 |
| Palati mollis | 3 | 8 | 11 | Labiorum minor. . . . | — | 2 | 2 |
| Tonsillarum | 2 | 10 | 12 | Vaginae | — | 2 | 2 |
| Uvulae | 2 | 6 | 8 | Perinaei | 1 | — | 1 |
| Pharyngis | 4 | 5 | 9 | Ani | 6 | 7 | 13 |
| Nasi | 2 | 5 | 7 | Aliorum corp. loc. . . . | 3 | 7 | 10 |
| Ozaena | 1 | 2 | 3 | <i>Condylomata acum.</i> | | | |
| Aliorum locor. corp. . . | 18 | 5 | 23 | <i>Genitalium :</i> | | | |
| <i>Fissurae et foramina:</i> | | | | Colli glandis. | 1 | — | 1 |
| Palati duri | — | 4 | 4 | Praeputii | 1 | — | 1 |
| Palati mollis. | — | 3 | 3 | Lab. min. et vagin. | — | 1 | 1 |
| Arc. gloss. palat. . . . | 1 | — | 1 | Orificii urethrae . . . | — | 1 | 1 |
| Septi narium | 1 | 2 | 3 | <i>Intumescencia:</i> | | | |
| <i>Defectus :</i> | | | | Glandular. lymph. : | | | |
| Maximae part. pen. . . . | 1 | — | 1 | Colli | 2 | 2 | 4 |
| Maxim. part. praep. . . . | 1 | — | 1 | Cervicis | 2 | 2 | 4 |
| Arcus glossopalat. . . . | 1 | — | 1 | Glandularum submax. . . | 2 | 1 | 3 |
| Uvulae | 1 | 3 | 4 | Tonsillarum. | 2 | — | 2 |
| Septi narium | 1 | 4 | 5 | Labiorum pudend. | — | 3 | 3 |
| Ossium nasi | — | 2 | 2 | | | | |
| Concharum nasi | — | 1 | 1 | | | | |

| Syphilidis formae. | Mares. | Feminae. | Summa. | Syphilidis formae. | Mares. | Feminae. | Summa. |
|--------------------------------------|--------|----------|--------|--|--------|----------|--------|
| <i>Exanthemata cutis.</i> | | | | Metacarpi et digiti | | | |
| Maculae | 10 | 4 | 14 | III. manus | 1 | — | 1 |
| Vesiculae | 2 | 2 | 4 | Tibiae | 1 | 2 | 3 |
| Noduli | — | 1 | 1 | Abscessus supra claviculam et in collo- | 1 | — | 1 |
| Papulae | 6 | 2 | 8 | Necrosis et exfoliatio | | | |
| Pustulae | 8 | 1 | 9 | tibiae | 1 | — | 1 |
| Squamae | 1 | 1 | 2 | Iritis | 1 | — | 1 |
| Tubercula | 1 | — | 1 | Fistula urinaria | 1 | — | 1 |
| Impetigo | 2 | 1 | 3 | Contractura dig. III. | | | |
| Ecthyma | 1 | 1 | 2 | manus | 1 | — | 1 |
| Herpes | 2 | 1 | 3 | Elephantiasis crurum. | 1 | — | 1 |
| Lichen | 1 | — | 1 | Mortuus est | 1 | — | 1 |
| Pityriasis capiti. | 1 | — | 1 | <i>Operationes.</i> | | | |
| Rhagades | 2 | 1 | 3 | Phimosis | 6 | — | 6 |
| <i>Affectiones ossium:</i> | | | | Extirp. gland. submaxil. et ligatura arter. maxil. extern. | 1 | — | 1 |
| Periostitis vertebr. colli | 1 | — | 1 | Abscisio praeput. indur. | 1 | — | 1 |
| Gummata | — | 2 | 2 | Refectio alarum nasi | 1 | — | 1 |
| Exostoses: | | | | | | | |
| Clavic. et costarum | 1 | — | 1 | | | | |

Ex hoc conspectu eadem fere efficiuntur, quae jam supra exposuimus. Ulcera genitalium et aliarum corporis partium, exceptis oris pharyngisque cavis, frequentissime in maribus obvia vidimus, quod idem de bubonibus, cutis exanthematibus, ossium affectionibus dicere licet. Ulcera cavorum oris et pharyngis, condylomata, blennorrhoeas praecipue in feminis adesse animadvertimus. Qui eventus cum iis etiam congruunt, quae aegroti de modo ac ratione tradiderunt, qua infecti fuerint. Major enim feminarum quam marium pars solo convictu cum aegrotis syphiliticis, nullo habito coitu, se infectam esse contendit. Ut amplius probetur, vera esse ea, quae ab aegrotis tradita sint, afferre possumus, in septem feminis hymenem prorsus integrum fuisse, nec nisi in uno ex his casibus affectionem genitalium syphiliticam simul appa-

ruisse; in reliquis vero tantum affectiones oris pharyngisque repertas esse. In tribus feminis, quae omnes ex pharyngis syphilide laborabant, genitalia sine ullo cicatricum vel ulcerum vestigio, etsi hymene jam non integro, reperta sunt.

Decursus ulcerum in feminis plerumque simplex fuit in maribus vero ter indurationes praeputii, phagedaena praeputii et glandis bis, ulcera callosa bis observata sunt.

Quamvis ulcera tantum simplicia levioresque syphilidis formas in feminis obvias videremus, condylomata tamen remediis contra ea adhibitis tanto pertinacius resistebant; unde tempus curationis in sanandis feminis longius quam in maribus protrahatur. Undeviginti feminae omnino per 1522 dies, ergo singulae plus minusve per 80,1. . dierum, triginta tres mares per 1659 dies, ergo singuli plus minusve per 50,2. . dierum tractati sunt. Hoc temporis discrimen, quo ad sanandum morbum opus est, plerumque inde efficitur, quod feminae aegrotae pro majore sua inscientia syphilidis ejusque sequelarum multo tardius in animum inducunt, ut se curari patiantur; at tum vero inter curationem haud raro menstrua intercedunt; praeterea affectiones nasi syphiliticae, in feminis saepe obviae, pertinaciam suam satis notam curationi objiciunt.

Tria inoculationis pericula, adhibito pure ulcerum syphiliticorum, sunt instituta, et quidem in ipsis iis aegrotis, ex quibus pus petatum erat; verumtamen semel tantum contigit, ut ulcus syphiliticum indolis propriae excitaretur. Hoc autem casu pus exemtum non erat ex ulcere secundo, sed ex primario, quod se evolverat in labio pudendorum majore mulieris alicujus, quippe quae syphilide primaria simul et secunda affecta esset. Inoculatio facta est ab interiore femorum latere, ubi ulcera inde recens exorta indurescebant, quamvis simplex esset ulcus illud, ex quo pus ad faciendam inoculationem exemtum erat. Qua de causa ulcera, artificiali

inoculatione provocata, multo etiam serius sanuerunt, quam quae in labiis antea jam aderant. Ergo ne in uno quidem eodemque homine pus ulceris similes ulceris formas, sed multo saepius etiam maligniores excitat: quae res ceterum nuperrime et ab ipso Dr. Suchanek¹⁾ observata est.

Menstrua septem mulierum, dum dyscrasia tenebat, in earum corpore cessaverant, sed in omnibus illis inter curationem rursus apparebant, atque postea cursu regulari progrediebantur. Jure statui potest, reditum menstruorum inter curationem, si illa antea cessaverint, prosperum curationis effectum esse.

Mulier gravida, quae hydrargyro oxydul. nitrico tractata erat, partum maturum, sed aliquatenus jam putridum edidit. Lochiarum regularis erat decursus. Febris intermittens quotidiana partum antecedebat et sequebatur, neque minus status lethargicus, sequentibus spasmodicis, qui moscho demum et camphorae cedebant.

Cum syphilide simul scabies bis in maribus, ubi semel post sanatam dyscrasiam manebat, atque semel in femina apparuit, praeterea complicationes syphilidis cum scrophulosis, febris intermittente, cum aliis saepe obvias observavimus.

Curatio.

Exorta syphilide secundaria, magis etiam necesse est corporis constitutio atque antegressa sanationis pericula in eligenda curandi methodo respiciantur, quum permultis in hujus ipsius morbi, casibus corpus hydrargyri praeparatis aliisque medicamentis adeo satiatum sit, ut saepe satis fiat difficile remedium aptum eligere.

Adhibita sunt haec medicamenta:

1) l. c. pag. 9.

| Medicamenta adhibita. | Mares. | Feminae | Summa. |
|--|--------|---------|--------|
| Hydrarg. muriat. corr. sec. meth. Dzondi | 4 | 7 | 11 |
| Hydrarg. muriat. mit. sec. method. Neumann | 1 | — | 1 |
| Hydrarg. oxydulat nitricum | 2 | 1 | 3 |
| Hydrarg. praecipitat. rubrum | 2 | 1 | 3 |
| Innuhct. unguenti hydrarg. ciner. se- cund. method. Rust. et Louvrier | 1 | 1 | 2 |
| Protojoduretum hydrargyri | 2 | 5 | 7 |
| Kali jodatum | 12 | 2 | 14 |
| Kali bromatum | 1 | — | 1 |
| Aurum muriat. natronatum | 2 | — | 2 |
| Magnesia et natron sulphur. | | 1 | 1 |
| Decoctum Zittmanni | 3 | 1 | 4 |
| Decoctum Pollini | 4 | 1 | 5 |
| Decoctum spec. lignorum | 1 | — | 1 |

Plerisque in casibus decocta diaphoretica, temperatura calidior, diminutio et extenuatio victus quotidiani velut remedia adjuvantia maximi momenti in curando morbo usurpata sunt. Ibi tantummodo, ubi aegroti jam ad statum nimis cachecticum redacti erant, diaeta non adeo circumcisa est, atque curatio, praesertim jam antea adhibito hydrargyro, remediis mercurialibus abstinuit. Data potius sunt aut kali jodatum cum decoctis vel sine iis, aut sola decocta: quo casu autem tempus curationis semper aliquanto longius erat, quam ubi hydrargyrum adhibebatur. Effectu sane celerrimo praecipitatum rubrum hydrargyri et nonnumquam mercurius sublimatus excelluit.

Antequam ad mercurium sublimatum et inunctiones unguenti hydrargyri cinerei accederetur, plerumque balnea atque medicamenta cathartica parata sunt, ut illorum effectus quam maxime inde auferetur; qua in re autem ex corporis constitutione et gradu affectionis aegrotorum ratio agendi statuatur. Post usum praecipue hydrargyri libenter datum est kali jodatum cum decocto spec. lignorum vel sine illo; nec

non post decoctum Zittmanni et Pollini itidem simplex illud decoctum spec. lignorum aegrotis propinatum est.

Salivatio apud mares ter exorta est, eaque post adhibitas inunctiones, quas Rust et Louvrier, post calomel, quod Neumann, post merc. sublimatum, quod Dzondi secundum suam quisque methodum commendarunt: quo casu postremo jam plurimum hydrargyri consumtum fuerat. In feminis salivatio quinquies observata est, sc. ter post hydrargyrum subiodatum, semel post hydrarg. oxydul. nitricum, semel post inunctiones secundum methodum Rust-Louvrierianam adhibitas. Singulis vicibus, quum accederet salivatio, remedium per aliquot dies intermissum, aut dosis illius minuta est. Salivatio semper fere 14—18 diebus post hydrargyri usum accedebat et plerumque per idem temporis spatium continuabatur. Satis celeriter illa gargarismatibus aliquot adstringentibus, vel, ubi gradu vehementiore aderat, kali iodato cedebat.

Remedia specifica, quae propriis morbi formis adhiberentur, inveniri non poterant, nisi quod kali iodatum, ubi dolores osteocopi accesserant, quibus haud raro ossium affectiones et ulcera cutis adjungebantur, nec non methodus inunctionum, quae a Rust et Louvrier proposita est, exortis ossium affectionibus gravioribus, sicut casu quodam hyperostosium ulnae dextrae 10" longitudinis 2" latitudinis 1½" altitudinis, et tibiae 6" longitudinis 3" latitudinis 1" altitudinis, symptomata morbi, quae diximus celeriter ac prospere omnino removeere aut saltem minuere videbantur.

Curatio localis.

In curandis genitalium ulceribus sola munditia adhibita est, nec nisi iis in casibus, ubi ulcera indolis erant nimis atonicae, lapis infernalis leviter illitus vel unguentum hydrarg. praecipitati rubri iis applicatum est. Ubi ulcera in cavo oris exorta erant, gargarismata ex alumine, solutionibus mercurii

sublimati, boracis, kali jodati, infuso foliorum salviae etc. ad os eluendum aegrotis suppedita sunt. Sublimati et kali jodati solutiones idoneae visae sunt, quae spiritu in nasum ducerentur; eorumque usu ulcerum indoles brevi melior redita est.

Ad removendas a cute ulcerum crustas applicata sunt cataplasmata; ubi ulcera indolis erant atonicae, cauterizatio ope lapidis infernalis, ubi fundum praebebant nimis atonice induratum, etiam ope lapidis caustici instituta est.

Condylomata acerrimis mercurii sublimati solutionibus, lapidi infernali, creosoto, aliis saepe resistebant, donec tandem interjecto multo tempore curationi internae fortiori cederent. Adversus condylomata maxima, quae fere magnitudinem parvi numi argentei aequabant, efficacissima fuit abscisio, quam remedia caustica sequebantur; quibusdam in casibus, qui de norma excipiendi erant, applicatio unguenti ex calomelanos et zinco parati aequae vim prosperrimam habuit. Sed nullum ex remediis, si effectum spectas, ante omnia praestantissimum existimari potuit.


Exanthemata cutis nonnumquam balneis calidis mercurii sublimatique solutionibus tractata sunt; plerumque vero nulla eorum praecipue habita est ratio. Tum tantum, quum finita erat curatio, maculae residuae saepe balneis calidis, quibus acidum nitricum fumans adjiciebatur, perbreve tempore huc adductae sunt, ut omni ex parte desquamarentur atque evanescerent. Adversus intumescencias glandularum lymphaticarum, gummata, exostoses praeter curationem internam usus unguenti ex kali jodato parati effectum celerrimum praestitit.

Phimoses sexies operationi necesse fuit subjicerentur, ac quidem, prout res postulabat, modo incisio, modo circumcisio etc. adhibitae sunt. Ter oncotomia hubonum, discussio

adhibitis inunctionibus unguenti hydrargyri cinerei atque compressione quater susceptae sunt.

Refectio nasi alarum, quae ex exulceratione amissae erant, semel tentata est, sed parum processit, quum laciniae expletoriae accedente gangraena perderentur. Glandulae submaxillares, quae induruerant, semel extirpatae sunt: quo casu arteriae maxillares externae necesse erat subligarentur. — Simulatque inflammatio exorta est, remedia antiphlogistica pro gradu ejus et loco confestim adhibita sunt.

Curatio, qualis aegrotis syphiliticis in instituto clinico stationario adhibebatur, profecto semper prosperrime successit, nisi aegroti ipsi, antequam finita erat curatio, ab ea recedebant. Temporis spatium quo curatio continuabatur, in instituto clinico magis minusve largissimum fuit, quoniam aegroti non prius dimittebantur, quam omne syphilidis signum e conspectu fugerat. Utrum vero dyscrasia syphilitica post finitam curationem semper funditus sublata fuerit nec ne, minime pro certo statui potest, quum pauci tantum postea in institutum clinicum redeant, si in eundem morbum reciderint.



T h e s e s .

- 1) Medico concedendum est jus, quotiescunque sectionem in corpore hominis mortui instituere cupiat, a propinquis ejus rei veniam postulandi.
 - 2) Aedificia ad asservandos mortuos exstructa, qualia in sepulcretis nostris reperiuntur, rejicienda sunt.
 - 3) Homines, qui mortem voluntariam sibi consciscunt, ipso quidem actionis momento mentis sunt perturbatae.
 - 4) Vagitus uterinus non exstat.
 - 5) Inspectio syphiliticorum in omnibus corporis partibus instituenda est.
 - 6) Omnia remedia externa praeter summam munditiam in curandis ulceribus syphiliticis, nisi phagedaena et atonia adsunt, necesse est rejiciantur.
-